

gis extrema illa distant, five quanto minore habent proportionem; ideo enim minor est unio accidentis & subiecti, quam materie & forme; quia accidens & subiectum minorem habent proportionem, quam materia & forma: Sed minor est proportio inter ea que per unionem hypostaticam coniunguntur, quam inter plura alia, quia natura humana & divina, que sunt huiusmodi extrema, non habent naturalem inclinationem & coaptationem ad unionem, sicut materia & forma v. g. sed solum est potentia obediens in natura humana: Ergo unio humane nature & divine in Christo non est maxima, si consideretur ex parte extremorum.

196 Dico secundo: Unio hypostatica, ex parte eius in quo uniantur in Christo natura humana & divina, est maxima unio. Ita S. Thom. loco citato, & Theologi communiter contra Durandum.

Probat: Tanto maior est unio aliquorum, quanto simplicius & magis unum est medium quo invicem uniantur, & minus ab extremis unitis differt: Sed in unione hypostatica medium est simplicius, & minus ab extremis differt, quam in omnibus aliis unionibus creatis: Ergo &c. Major patet, perfectio enim unionis debet sumi ex perfectione & simplicitate medii, seu vinculi, quo extrema coniunguntur. Minor vero probatur, & primo quantum ad simplicitatem medii, evidens est, quia persona Verbi Divini, que est medium, seu vinculum, in quo substantialiter & hypostaticè natura divina & humana coniunguntur, est simplicissima, & una per essentiam. Quantum vero ad minorem eius distinctionem ab extremis, etiam constat, quia substantia Verbi Divini non est medium realiter aut formaliter distinctum ab altero extremo, nempe natura divina, sed solum ratione; in ceteris autem unionibus creatis, medium secundum rem est distinctum ab utroque extremo unionis. Ex quo sequitur, solum unionem Personarum SS. Trinitatis (in qua medium in quo uniantur, nimirum divina essentia, identificatur realiter & formaliter cum omnibus extremis) esse maiorem unionem hypostaticam, hanc vero excedere reliquas omnes. Unde Bern. lib. 5. de confid. prope medium: *Iner omnes uniones necesse tenet unitas Trinitatis, in qua tres persone sunt una substantia; secundo loco illa precllet, in qua e contrario tres substantie sunt una in Christi persona.* Nec dici potest illum loqui de unionibus, quantum ad dignitatem & perfectionem, non vero quantum ad formalem rationem unionis, sicut interpretatur Durandus; alias (ut recte notavit Cajetanus) falso dixisset D. Bern. primum locum tenere unionem Trinitatis; quia non minoris dignitatis & perfectionis est Persona Divina, in qua tres substantie, scilicet corpus, anima, & divinitas coniunguntur, quam divina essentia, in qua tres persone SS. Trinitatis subsistunt.

197 Contra i. conclusionem nullum est argumentum alicuius momenti, sed contra secundam potest istud opponi. Illa unio est maior in ratione unionis, ex qua fit aliquid magis unum: Sed ex unione materie & forme efficitur magis unum, quam ex unione hypostatica: Ergo unio materie & forme maior est in ratione unionis, unio hypostatica. Major patet, nam ratio unionis consistit in unitate vel indivisione resultante ex extremis unitis. Minor vero probatur: Ex unione materie & forme fit aliquid unum in natura & in supposito: ex unione vero hypostatica fit unum solum in supposito: Ergo ex unione materie & forme efficitur aliquid magis unum, quam ex unione hypostatica.

198 Confirmatur 1. Illa magis uniantur, que minus sunt separabilia: Sed materia & forma minus sunt separabiles, quam due nature in Christo: Ergo &c.

2. Confirmatur 2. Major est unio extremorum que ex sua natura sunt ad invicem unibilia, quam eorum que ex natura sua ad invicem non proportionantur & coaptantur: Sed materia & forma ex natura sua sunt unibilia, cum habeant rationem potentie & actus, non autem Divinitas & humanitas in persona Verbi: Ergo &c.

199 Ad objectionem, concessa Majori, nego Minorem, ad cuius probationem dicendum cum D. Thom. hic art. 9. ad 3. *quod unitas divina persona est maior quam fit unitas ex materia & natura in nobis: & ideo unio incarnationis est maior, quam unio anime & corporis in nobis.* Itaque compositum ex materia & forma est quidem pluribus modis, non tamen magis unum, quam natura divina & humana in Christo. Vel ut alii dicunt, unio materie cum forma est maior unio hypostatica extensive, non intensive, de quo solum est questio.

200 Ad 1. confirmationem, nego Majorem, inseparabilitas enim non est signum maioris unionis, alias unio intellectus cum anima, esset maior unio nature ad suam personificationem, quod est falsum, cum ista sit substantialis, illa vero accidentalis. Similiter unio quantitatis ad corpus, esset maior unio anime cum corpore, cum quantitas non possit a corpore separari.

Ad 2. nego etiam Majorem, perfectio enim unionis non debet peti ex inclinatione naturali extremorum, sed potius ex simplicitate & indivisibilitate medii in quo uniantur.

Unde tam bene uniantur accidentia supernaturalia subiecto, quam naturalia. Similiter etiam maior est unio essentie divine in ratione speciei cum intellectu beatorum, quam unio accidentium cum subiecto. Quomodo autem hæc unio essentie divine non superet unionem hypostaticam, constat ex dictis: illa enim est tantum intentionalis, accidentalis, & inferioris ordinis, nec tollit absolute quin extrema unita habeant proprium esse distinctum: illa vero est physica, substantialis superioris ordinis, scilicet hypostaticæ, & extrema non habent nisi unum esse simplicissimum.

Ex dictis inferes, unionem hypostaticam, non solum ut dicit natura divina & humane in persona Verbi conjunctionem, sed etiam ut dicit conjunctionem humanitatis cum personalitate Verbi, esse maximam omnium unionum. Nam intimior, vel saltem immediatior est conjunctio humanitatis cum Verbo, quam cum natura divina: Ergo si conjunctio humanitatis cum natura divina, est maior cunctis aliis distinctionum conjunctione, potiori iure ideo dici debet de conjunctione humane nature cum Verbo. Adde quod, simplicitas persone Verbi, que per seipsum commisit sibi humanitatem, constituit compositum ex persona Verbi & natura humana magis unum, quam sit quodcumque aliud compositum.

DISPUTATIO VII.

De causa morali seu meritoria incarnationis.

Non agimus hic de causa physica incarnationis, quia circa illam nulla occurrit celestis difficultas & controversia inter Theologos, omnes enim ut certum, & indubitatum supponunt, nullam creaturam posse esse causam principalem unionis hypostaticæ: Tum quia illa unio est in supremo vertice supernaturalitatis, atque adeo causam principalem postulat supra naturam, longe potiori iure quam entia cetera secundum substantiam supernaturalia, que non nisi a Deo ut causa principali prodire possunt, ut de gratia habituali in tractatu de gratia ostendimus. Tum etiam, quia prevenienda hic fuit emanatio naturalis subsistentia ex humanitate profundenda, quam emanationem, utpote necessariam, nulla vis creature inhibere potest; unde necesse est ut virtus altissimi talem effluxum impediatur; substituendo loco subsistentie create, que ex humanitate Christi conaturaliter resultare debebat, increatum Verbi Divini personalitatem. Unde

Solum potest esse difficultas de causa instrumentali talis unionis, an scilicet aliqua creatura ad eam concurrere poterit instrumentaliter? Sed communiter & probabiliter Thomistarum sententia hoc repugnat affirmari; quia nimirum omnis actio instrumentaria debet habere aliquem terminum, & recipi in aliquo subiecto: nullus vero potest in unione hypostatica assignari terminus correspondens actioni instrumentariae creature, non quidem ipsa subsistentia Verbi Divini, ut communicata humanitati; illa enim, cum sit ordinis divini & increati, a nulla creatura attingi potest, sicut nec ipsum Verbum Divinum. Neque nexus medius copulans verbum cum humanitate, quia in probabiliori Thomistarum sententia non datur talis nexus intermedius, sed subsistentia Verbi Divini, immediate humanitati coniungitur, ut disp. precedenti art. 3. ostendimus. Similiter ejusdem actionis instrumentariae nullum potest dari subiectum: non enim Verbum, quod est actus purus, & incapax mutationis; nec humanitas, que ante unionem non fuit, cum illius productio, & assumptio ad subsistentiam Verbi in eodem instanti fuerint; illaque, juxta communem Thomistarum sententiam, non existat per existentiam propriam, sed per existentiam Verbi de quo disp. sequenti: Ergo nulla creatura potest ad unionem hypostaticam instrumentaliter concurrere. Unde Abacus 3. de illa dicitur: *Domine opus tuum, id est talis unio est opus ita tibi proprium & singulare, ut fieri possit a te solo, cur jus est mirabilia magna facere.* Unde licet beata Virgo revera sit mater Dei, non fuit tamen electa a Deo ut instrumentum, ad coniungendam hypostaticè humanitatem Verbo Divino: tum quia talis concursus instrumentalis, ut jam ostendimus, impossibilis est: tum etiam quia esse possibilis esset, ille tamen non requiritur, ut ea vere sit ac dicatur Mater Dei, cum concursus matris in productione filii non sit instrumentalis, sed principalis; & cum ad hoc sufficiat, quod B. Virgo eundem concursus exercuerit in conceptione Christi; quem alia mater præbere solet in conceptione filiorum; qui concursus, in opinione Aristotelis, & D. Thomæ, non est actus, sed duntaxat passivus, & consistit in eo quod mater materiam aptam formationi fetus subministrat; hoc est sanguinem bene decoctum, & ultimate dispositum ad humani corporis formationem utero suo vitaliter præbat; quod corpus ex tali sanguine factum, virtute activa, in femine viri contenta, ultimate disponitur ad recipiendam animam rationem.

tionalem, quemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullius justitia sua præcedentibus meritis, Filius Dei se esse ab initio, quo esse homo capisset, ut ipse & Verbum quod suo initio est, una persona esset. Neque enim quisquam sanctorum hujus vel ceteri est ignorantia, ut audeat dicere, quomodo de Spiritu Sancto, & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene oratione, & sine peccato bona opera faciendo, meruisse ut esset Dei filius, resistenti Evangelio atque dicente, Verbum caro factum est. Nam ubi hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itemque Virgine requirento, quomodo fieret quod ei per Angelum nuntiabatur, Angelus respondit: Spiritus Sanctus superveniens in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Propterea, inquit, non propter opera, que nondum nati unquam nulla sunt; sed propterea quia Spiritus Sanctus supervenies in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ista natiuitas profecto gratuita conjuncta in unitate persona hominem Deo, carnem Verbo. Ista natiuitatem bona opera facta sunt, non bona opera meruerunt. Quibus verbis S. Doctor discrete affirmat, Christum non meruisse effici Filium Dei per opera arbitrii humani; sed jam ex utero, & ab ipsa conceptione fuisse Deum & hominem, eoque humanitatem ad unionem hypostaticam cum Verbo elevatam.

In contrarium tamen obijci possunt quedam Scripturæ loca, quibus videtur significari, humanitatem assumptam, fuisse divinitate inunctam, eamque accepisse propter merita, præclara tempore aliquo ante unionem. Id enim videtur sonare locus ex Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Ubi unctio humanitatis per divinitatem, facta dicitur propter odium peccati, & iustitiæ amorem, quibus cum promeruit. Neque enim verba hæc exponi possunt de nuda unctioe gratiæ sanctificantis pure create, cum eam Christus non habuerit ex merito, utpote debitam unioni hypostaticæ, ad modum proprietatis naturalis. Item cap. 5. Apoc. agnus qui occisus est dicitur dignus accipere vitulum & agnoscantur, utique in præmium exceptæ mortis: Ergo Christus non fuit Deus in hac vita mortali, sed post mortem obtinuit Deitatem hic per merita comparatam.

Verum neuter locus probat intentum, nam locus Psal. 44. mi, vel non debet intelligi de assumptione humanitatis ad Verbum, sed de gloria externa, & exaltatione ac celebritate nominis. Christo ob merita passivus post resurrectionem concessi, vel si intelligatur de unctioe humanitatis per Deitatem, vel si intelligatur de unctioe humanitatis per Deitatem, seu unctioe hypostaticæ, particula propterea non denotat causam meritoriam, sed finalem, ita ut sensus sit. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, itaque ut præstares inunctus a Deo oleo lætitiæ &c. Itaque non quia Christus dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatem, factus est Deus, sed e contrario, ut diligeret iustitiam, & hominibus eam procuraret, postquam peccatum ita odisset, ut illud equali satisfactione destrueret, inunctus est oleo iustitiæ, & divinitatis unguento in sua humanitate delibutus. Sic expostus locus ille prolixus vacat difficultate. Et idem est de loco Joannis in quo, accipere divinitatem, non significat accipere unionem hypostaticam, sed manifestationem divinæ potentie, virtutisque infinite præbabit, que tandem demum prodita est, cum omnes Adversarii subacti sunt Christi pedibus, & nomen ejus exaltatum est super omnes nomina: quam nominis celebritatem, beatus ille cæcus, agno occiso optabat ut posteriores gloriæ abiectionem anteriorem compensarent, & quise humiliaverat, exaltaretur, ut ibidem explicat Hieronymus. Vel si ly accipere divinitatem, ad unionem hypostaticam referatur, hic locus intelligi debet de reunione totius humanitatis cum persona Verbi, que in resurrectione facta est, & que (ut infra dicemus) fuit veluti quedam restitutio unionis hypostaticæ, quam Christus per opera Incarnationem subsequentem de condigno promeruit. De quo art. sequenti §. 3. corollario 4.

ARTICULUS I.

De Causa morali seu meritoria incarnationis.

Dico primo: Christus per nullam operationem, seu primi, seu secundi generis, unionem hypostaticam meruit. Pro intelligentia hujus conclusionis, notandum est, quibus modis intelligi possit Christum unionem hypostaticam meruisse: Primo, ut affirmatur, Christum prius tempore quam ejus humanitas Verbo uniretur, fuisse aliquandiu purum hominem, postea vero proventus fuisse ad dignitatem Filii Dei naturalis, ob merita. Secundo, ut assertur Christum, quamvis ab initio productionis sue semper positum Verbi personalitate, eique unitum, tamen prius natura quam humanitas ejus personalitate divina terminaretur, elicuisse actiones meritorias, quibus prochi ad unionem cum Verbo mereretur. Utrunque ergo modum promerendi unionem hypostaticam in hac conclusione excludere, & meritum tam tempore quam natura præcedens unionem hypostaticam, Christo, vel humanitati ejus, denegare intendimus.

2. Et quidem quantum ad priorem sensum, res est certa de fide, nam affirmare Christum per aliquod tempus, ante unionem cum Verbo fuisse purum hominem, & in eo statu meruisse humanitati sue unionem cum Verbo, hæretis fuit Nestori & Photini, propterea que S. Gregorius lib. 9. registri Epist. 61. tradens Hibernis Episcopo professionem fidei, quam docendi essent emittere, qui e Nestorianismo ad Ecclesiam regrediebatur, inter alia præscribit, ut doceatur Christum a primo momento conditionis sue fuisse Deum.

3. Hunc tamen errorem variis in locis egregie confutat Augustinus, præsertim lib. de correctione & gratia c. 11. ubi hæc scribit: *Deus naturam nostram, id est animam rationem, Tom. IV.*

tionalem, quemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullius justitia sua præcedentibus meritis, Filius Dei se esse ab initio, quo esse homo capisset, ut ipse & Verbum quod suo initio est, una persona esset. Neque enim quisquam sanctorum hujus vel ceteri est ignorantia, ut audeat dicere, quomodo de Spiritu Sancto, & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene oratione, & sine peccato bona opera faciendo, meruisse ut esset Dei filius, resistenti Evangelio atque dicente, Verbum caro factum est. Nam ubi hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itemque Virgine requirento, quomodo fieret quod ei per Angelum nuntiabatur, Angelus respondit: Spiritus Sanctus superveniens in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Propterea, inquit, non propter opera, que nondum nati unquam nulla sunt; sed propterea quia Spiritus Sanctus supervenies in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ista natiuitas profecto gratuita conjuncta in unitate persona hominem Deo, carnem Verbo. Ista natiuitatem bona opera facta sunt, non bona opera meruerunt. Quibus verbis S. Doctor discrete affirmat, Christum non meruisse effici Filium Dei per opera arbitrii humani; sed jam ex utero, & ab ipsa conceptione fuisse Deum & hominem, eoque humanitatem ad unionem hypostaticam cum Verbo elevatam.

In contrarium tamen obijci possunt quedam Scripturæ loca, quibus videtur significari, humanitatem assumptam, fuisse divinitate inunctam, eamque accepisse propter merita, præclara tempore aliquo ante unionem. Id enim videtur sonare locus ex Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Ubi unctio humanitatis per divinitatem, facta dicitur propter odium peccati, & iustitiæ amorem, quibus cum promeruit. Neque enim verba hæc exponi possunt de nuda unctioe gratiæ sanctificantis pure create, cum eam Christus non habuerit ex merito, utpote debitam unioni hypostaticæ, ad modum proprietatis naturalis. Item cap. 5. Apoc. agnus qui occisus est dicitur dignus accipere vitulum & agnoscantur, utique in præmium exceptæ mortis: Ergo Christus non fuit Deus in hac vita mortali, sed post mortem obtinuit Deitatem hic per merita comparatam.

Verum neuter locus probat intentum, nam locus Psal. 44. mi, vel non debet intelligi de assumptione humanitatis ad Verbum, sed de gloria externa, & exaltatione ac celebritate nominis. Christo ob merita passivus post resurrectionem concessi, vel si intelligatur de unctioe humanitatis per Deitatem, vel si intelligatur de unctioe humanitatis per Deitatem, seu unctioe hypostaticæ, particula propterea non denotat causam meritoriam, sed finalem, ita ut sensus sit. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, itaque ut præstares inunctus a Deo oleo lætitiæ &c. Itaque non quia Christus dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatem, factus est Deus, sed e contrario, ut diligeret iustitiam, & hominibus eam procuraret, postquam peccatum ita odisset, ut illud equali satisfactione destrueret, inunctus est oleo iustitiæ, & divinitatis unguento in sua humanitate delibutus. Sic expostus locus ille prolixus vacat difficultate. Et idem est de loco Joannis in quo, accipere divinitatem, non significat accipere unionem hypostaticam, sed manifestationem divinæ potentie, virtutisque infinite præbabit, que tandem demum prodita est, cum omnes Adversarii subacti sunt Christi pedibus, & nomen ejus exaltatum est super omnes nomina: quam nominis celebritatem, beatus ille cæcus, agno occiso optabat ut posteriores gloriæ abiectionem anteriorem compensarent, & quise humiliaverat, exaltaretur, ut ibidem explicat Hieronymus. Vel si ly accipere divinitatem, ad unionem hypostaticam referatur, hic locus intelligi debet de reunione totius humanitatis cum persona Verbi, que in resurrectione facta est, & que (ut infra dicemus) fuit veluti quedam restitutio unionis hypostaticæ, quam Christus per opera Incarnationem subsequentem de condigno promeruit. De quo art. sequenti §. 3. corollario 4.

Quod vero per actiones in primo Incarnationis suo momento prius natura elicatas, non mererit Christus humanitatis sue unionem cum Verbo, colligitur ex Augustino lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. ubi hæc scribit: *Vitium omnium humanorum causa, superbia: ad hanc convincendam atque auferendam, talis medicina cælitus venit; ad clarum hominem per superbiam. Deus humilitate descendit per misericordiam; gratiam claram manifestatione commendans in ipso homine, quem tanta præ participibus suis caritate suscepit. Neque enim & ipse Verbo Dei conjunctus, ut ipsa conjunctione unum Filius Dei, & unum idem ipse filius hominis fieret, præcedentibus sua voluntariis meritis fecit. Unum quippe illum esse oportet. Essent autem & duo, & tres, & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipue commendatur; hoc in sapientia arguitur: hoc in Christo absconditur, quantum existimari audeo, præcipue decetur & dicitur. Ubi manifestissime Augustinus, quæcumque Christi merita, etiam*

etiam si non nisi natura praevenit adeptioem unionis, excludit: eo enim dicitur ipse factus Deum, cum Christum produxit, & humanitatem eius verbo univit, ut agrosent homines quomodo potestatem accepissent filii Dei fieri, nempe post preventionem plane gratuita; sicut filius naturalis ex pura Dei misericordia, & nullo suo interposito merito; unionem Verbi Divini cum humanitate sua esse affectus: Atqui fides docet primam gratiam actuslem quae ad justificationem & filiationem Dei adoptivam disponitur, ex nullo merito nobis obtingere, sed divinitus ex pura misericordia conferri: Igitur multo magis eminentissima illa gratia unionis, quae est prototypum & primum exemplar omnium gratiarum, eodem modo obtingit Christo. Unde idem S. Doctor de praedestin. Sancti. cap. 15. *Est praclarissimum lumen praedestinationis & gratia ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem fieri, vel operum, vel facti praedecisibus meritis natura humana qua in illo est comparavit? Respondetur quod, ille homo, ut a Verbo Patri coeterno unitate persona assumptus, filius Dei unigenitus esset, unde hoc merito, quod eius bonam qualitatem praecessit? quid est ante, quid creditur, quid petit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

10 Ratio etiam suffragatur: Nam omne meritum in aliqua operatione fundatur; Sed nulla operatio de facto fuit in Christi humanitate prius natura quam esset assumpta a Verbo: Ergo nec illud meritum. Major patet, Minor probatur. Nulla operatio potuit esse in Christi humanitate prius natura quam esset subsistens, cum actiones sint suppositivae seu subsistentiae, ut tradunt Philo sophus 1. metaph. cap. 1. Damascenus lib. 3. de fide cap. 15. & D. Thomas infra quae. 19. art. 1. ad 3. & 4. Sed humanitas Christi per assumptionem ad Verbum Divinum effecta est subsistens, cum in ea non sit, neque fuerit alia subsistentia, praeter subsistentiam Verbi Divini: Ergo nulla operatio de facto fuit in Christi humanitate prius natura quam esset assumpta a Verbo.

11 Confirmatur: Ad meritum sive de condigno sive de congruo, exigitur sanctitas operantis: Sed Christi humanitas prius natura quam uniretur Verbo, caruit sanctitate, cum subsistentiali, ut patet, tum accidentaliter, quae omnis in Christo ab unione derivata est: non igitur prius natura quam uniretur, humanitas eius de condigno vel de congruo meruit unionem.

Dico secundo: Per opera prioritate temporis antecedentia unionem hypostaticam, non potuisse humanitatem Christi de potentia absoluta condigna mereri Incarnationem, bene tamen de congruo.

12 Prima pars probatur manifesta ratione: Etenim opera antecedentia unionem humanitatis ad Verbum non essent infiniti valoris, cum non procederent a supposito divino ex quo solum potest in opera humanitatis infinitus valor derivari, sed ab humanitate in supposito creato subsistente: At solum opus valoris infiniti potest esse meritum de condigno Incarnationis, sicut sola satisfactio valoris infiniti potest esse condigna & aequalis offensae contra Deum commissa, ut disp. 3. fuse ostendimus: Ergo implicat humanitatem Christi per opera prioritate temporis antecedentia sui unionem ad Verbum, eam de condigno promereri.

13 Secunda etiam pars patet: nam potuit humanitas Christi prius tempore producti quam uniretur ad Verbum, & in supposito sibi connaturali subsistere, sicut subsistens, opus supernaturalis elicere, ordinatum ad Incarnationem merendam: At licet in tali opere non esset condignitas ex defectu aequalitatis, reperiretur tamen congruitas in ordine ad unionem humanitatis ad Verbum; cum ad congruitatem meriti non requiratur aequalitas inter meritum & praemium, sed sufficiat amicitia cum Deo, unde infra dicemus, SS. Patres qui Incarnationem praecesserunt, per orationem & sancta desideria, eam meruisse de congruo: Ergo de potentia absoluta, potuit humanitas Christi per opera prioritate temporis unionem hypostaticam antecedentia, eam de congruo promereri.

14 Dico tertio, humanitatem Christi, etiam de potentia absoluta, non potuisse mereri Incarnationem, de condigno vel de congruo, per opera prioritate naturae illam antecedentia.

Hae conclusio intelligi debet de humanitate Christi ut assumpta a Verbo, si enim fuisset prius alteri persone increatae, aut subsistentiae Dei absolute unita, potuisset absque dubio mereri Incarnationem cum Verbo, etiam de condigno, ut patet ibi infra dicendis.

Sic ergo intellecta conclusio probatur ratione fundamentali: Implicat humanitatem Christi mereri unionem cum Verbo, per illum actum quem repugnat procedere ab humanitate, nisi ut unita Verbo, quia principium meriti non potest cadere sub merito: Sed impossibile est aliquid actum meritorium procedere ab humanitate Christi, nisi ut unita Verbo: Ergo implicat humanitatem Christi mereri unionem cum Verbo per opera illam praecedentia. Major patet, Minor probatur. Impossibile est

humanitatem Christi aliquid actum elicere, nisi ut prius unita alicui subsistentiae: Sed ex suppositione quod talis humanitas non praesupponatur unita personalitati Patris, vel Spiritus Sancti aut subsistentiae absolute, non est alia personalitas vel subsistentia, cui possit intelligi unita, quam subsistentia Verbi: Ergo ex illa suppositione, (ex qua solum, ut supra diximus, procedit nostra conclusio) impossibile erit humanitatem Christi operari, nisi ut prius unita Verbo. Major probatur: Sicut existentia est conditio indispensabiliter requisita ex parte efficientis ad operandum, ita & subsistentia ex parte naturae subsistentiae operantis, quia subsistentia, vel est ipsa meri existentia, vel quid essentialiter & necessario praesuppositum ad existendum, unde est axiomata trium, *Agnes sunt suppositivum & cum hic ordo inter operationem & existentiam ac subsistentiam, sit intrinsecus & essentialis non potest a Deo immutari.*

Dices, subsistentiam esse conditionem mere concomitantem, & non necessariam & per se praerequisitam in natura ad operandum, sed sufficere per ordinem ad potentiam Dei absolutam, ut operetur quod sit singularis, & existens, unde cum humanitas Christi in priori naturae ad unionem ad Verbum sit singularis, & existens, potest, per ordinem ad potentiam Dei absolutam, unionem hypostaticam, per actus in illo priori naturae ab ea elicitos promereri.

Verum haec responsio non enervat vim argumenti praesentis: Nam praeterquam quod fallum est quod humanitas Christi habuerit esse existentiam, priusquam uniretur Verbo, quia (ut infra ostendimus disp. 8. art. 2.) non existit nisi per incretam Verbi Divini existentiam, argumentum factum efficaciter probat subsistentiam esse per se praerequisitam in natura ad operandum, eo quod operatio essentialiter praesupponat complementum subsistentiale: Ergo implicat, humanitatem operari, nisi ut subsistentem, subsistente subsistentia per se ad operationem praerequisitur. Quod maxime urget in sententia D. Thomae, docentis existentiam esse ultimam actualitatem essentiae, ab illa distinctam: cum enim evidens sit non posse naturam operari, nisi habet existentiam, a fortiori impossibile erit eam agere, nisi ut habet subsistentiam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo contra istam conclusionem: Accidens 17 potest conservari sine subiecto, & sine ipso operari, ut patet in mysterio Eucharistiae: Ergo etiam potuit humanitas Christi prius prodici & conservari a Deo sine aliquo supposito, & sic conservata operari meritorie, mediante gratia sibi communicata, & per actus illos gratia informatos, unionem hypostaticam de congruo saltem promereri.

Respondeo, negando consequentiam & paritatem: Ratio discriminis est, quia existentia accidentis immediate afficit eius essentiam, non autem mediante subiecto, licet existentia eius connaturaliter dependeat a subiecto: At vero existentia substantia non afficit illam immediate, sed mediante subsistentia, per quam natura fit proxime susceptiva existentiae; unde sicut nulla natura potest sine existentia a Deo conservari, ita nec sine aliquo supposito. Adde quod accidens a subiecto separatum, prius intelligitur existens per se, quam operans, ex eo quod impedita inherencia per modum existendi per se, oportet quod talis modus essendi per se antecedit operationem, quam antecederet inherencia, si adesset: Ergo similitur, quia subsistentia propria humanitatis Christi antecederet eius operationem, si adesset, eo quod complementum rei in proprio esse subsistentiale, necessario praecedat operationem; oportet quod si supernaturaliter suppleatur illud complementum naturale per divinam personalem naturam, prius sit naturam assumptam subsistere subsistentia illa divina & increata, quam operari.

Obijcies secundo: Actus supernaturalis procedens a gratia habituali, & antecedens in aliquo priori naturae unionem cum Verbo, potest esse meritorius, saltem de congruo, talis unionis: Sed quomvis in humanitate Christi omnis actus tam naturalis quam supernaturalis procedat a persona Verbi, adhuc tamen potest intelligi in aliquo priori naturae actus supernaturalis antecedens unionem hypostaticam: Ergo & actus meritorius illius, saltem de congruo. Minor videtur manifesta, non enim minus dependet in Angelo & primo homine primus actus caritatis a gratia habituali in genere causae efficientis & materialis receptivae, quam dependeat actus humanitatis Christi a Persona Verbi, & tamen communiter docetur in Schola D. Thomae, quod in genere causae materialis dispositive, primus actus caritatis in Angelis & primis parentibus, gratiam habituales praecessit: Ergo & Major vero suadetur, quia ad merendum de congruo unionem hypostaticam, nihil aliud requiritur, saltem necessarium, quam actus supernaturalis a gratia procedens, antecedens illam in aliquo priori naturae: quod

quod enim non exigitur antecessio temporis, patet in eo qui per actum caritatis intentum ut octo meretur augmentum habitus: tunc enim in eodem instanti temporis est meritum & praemium, & meritum tunc sola prioritate naturae praemium antecedit.

Respondeo, negando Majorem, ad probationem dicatur, praeter illas condiciones requiri adhuc ad merendum unionem cum Verbo quod actus meritorius non procedat ab humanitate, ut unita Verbo: unde sicut de actu quo Angelus & primus homo se disposuerunt ad gratiam in primo instanti collatam, non potest dici quod fuerit meritorius gratiae ad quam disponebat, ne principium meriti dicatur cadere sub merito, sed tantum alterius praemii, scilicet gloriae: Ita quomvis daretur humanitatem Christi se disposuisse ad gratiam unionis per actum caritatis in primo conceptionis momento elicito (quod tamen admittendum non est) adhuc tamen posset ille actus esse meritorius, etiam de congruo, unionis cum Verbo; quia procederet ab humanitate, ut unita Verbo, & principium meriti non potest cadere sub merito.

19 Ex dictis inferes, Incarnationem, non prout dicit unionem humanitatis ad aliquam ex divinis personis in communi & vage sumptam, sed prout importat unionem humanitatis ad secundam Trinitatis personam, potuisse, de absoluta Dei potentia, cadere sub merito, etiam de condigno. Nam potuit de potentia absoluta humanitas prius tempore produci, & Persona Patris uniri, siquae producta & unita operari ex intentione merendi unionem ejusdem humanitatis ad secundam personam Trinitatis: At in opere sic elicto, & ad praemium ordinato, satisfaciens reperiretur condignitas respectu unionis ejusdem humanitatis ad Verbum, cum esset infiniti valoris ex infinita dignitate personae Patris operantis ut quod: Ergo sumpta Incarnatio pro unione humanitatis ad secundam Trinitatis personam potuit de potentia absoluta cadere sub merito condigno operum antecedentium.

ARTICULUS II.

De Christo per opera subsequens Incarnationem, eam mereri potuerit?

20 Affermat Suarez hic disp. 10. sect. 4. ubi distinguit intentionem seu praedestinationem Incarnationis, & ejus executionem, & ait Incarnationem prout est in aeterna Dei praedestinatione, non potuisse cadere sub merito Christi, quia ante praedestinationem quae fuit primus actus, & causa Incarnationis non potuit procedere neque praevideri a Deo aliqua actio Christi, cujus intuitu decerneretur Incarnatio: at ut executam potuisse cadere sub Christi merito, quia ante executionem ipsius Incarnationis, jam praevidebantur futura Christi merita, sicut & ipse Christus, ex vi illius primi decreti quo per modum intentionis Deus Incarnationem voluit.

§. I.

Conclusio negationis statuitur.

Dico tamen, Christum per actus subsequentes unionem, & a Verbo ut unito humanitati procedentes, neque de condigno neque de congruo, potuisse mereri Incarnationem.

21 Hanc conclusionem probant aliqui hoc discursu: Si opera subsequens Incarnationem possent de potentia absoluta esse merita condigna illius, sequeretur Christum illam meruisse de facto: Sed hoc non est dicendum, ut patet ex dictis articulo precedenti: Ergo nec illud. Sequelam Majoris sic probant: Omnis excellentia & dignitas quae potuit communicari Christo, de facto fuit ei communicata: Sed habere aliquid ex merito, nobilissimum & praestantissimum est, quam habere sine merito, ut docet D. Thomas infra q. 19. art. 3. & rationem assignat: nam qui habet aliquid per meritum, habet illud quodammodo per seipsum; qui autem sine merito, habet illud per aliud: nobilissimum autem est habere aliquid per seipsum, quam habere per aliud: Ergo si Christus potuit mereri unionem cum Verbo, per opera illam subsequens, sequitur quod de facto eam meruerit. Ita Alvarez hic disp. 16.

22 Verum hic discursus non videtur efficax, quia (ut ostendimus infra, disp. 11. art. 3. §. 4. cum agemus de merito Christi) potuit Christus de potentia absoluta beatitudinem animae habitam ab initio conceptionis de condigno mereri, & tamen illam de facto non meruit, ut ibidem dicemus: Ergo ex non implicanti meriti Incarnationis per opera subsequens, non recte inferitur, quod illa foret de facto horum meritorum praemium. Hac ergo ratione praetermissa

23 Probatur conclusio ratione fundamentali. Principium meriti non potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso: Sed unio hypostatica est principium omnis meriti: Ergo non potest cadere sub merito alicujus operis procedentis a Christo, Tom. IV.

dentis a Christo. Minor patet; nam principium operum Christi non est ipsa humanitas, sed suppositum Christi, quod est suppositum Verbi Divini unitum ipsi humanitati. Major vero docetur a D. Thoma hic art. 11. & q. 29. de verit. art. 6. in corp. & passim usurpatur a Theologis, qui ex illo principio inferunt in tractatu de gratia, hominem non posse mereri primam gratiam, quia talis gratia est principium & prima radix totius meriti.

Confirmatur: Meritum potest vi quadam morali attrahere sicut praemium: Sed nulla ratione fieri potest ut idem se ipsum attrahat: Ergo impossibile est ut idem sit meritum sui ipsius, atque adeo etiam implicat ut idem sit meritum sui principii a quo habet vim merendi, quia quod est causa causae, est causa causati.

Huius efficacissimo argumento in primis respondent adversarii, distinguendo Majorem, illamque concedendo de lege ordinaria Dei, & attentis rerum naturis, & negando de potentia absoluta & extraordinaria. Unde dicunt quod licet incarnatio non potuerit esse praemium meritorum procedentium ab ipsa, de lege ordinaria & attentis rei naturae, bene tamen de potentia absoluta & extraordinaria.

Sed contra primo: Esto causa efficiens moralis meriti 25 possit aliquo modo cadere sub merito; unde antequam Patres, ut infra ostendemus, per ipsam gratiam obtentam in vi meritorum Christi, Incarnationem de congruo meruerunt: tamen principium formale meriti non potest etiam de potentia absoluta, sub merito cujus est formale principium cadere. Sed Verbum ut unitum humanitati est principium formale meriti procedentis ab humanitate, cum a Deitate unita, ut a forma, valorem meritorium recipiat: Ergo Incarnatio nec de potentia absoluta potuit cadere sub merito operum procedentium ab ipsa. Minor est certa, & patet ex dictis supra disp. 4. cum de valore satisfactionis Christi agebamus. Major probatur: Si principium formale meriti posset esse ejusdem meriti praemium, sequeretur tale meritum seipsum ut meritum mereri: Sed hoc repugnat, idem namque a seipso dependere non potest, nec per consequens meritorie causari, nec remunerari seipso: Ergo & illud. Probatur sequela: Meritum formae est etiam meritum effectus formalis formae, sicut causa efficiens formam, efficit etiam ejus effectum formalem: Ergo si opus meritorium, formam a qua desumit valorem, & in ratione meriti formaliter constituitur, mereri potest, etiam poterit mereri seipsum, quatenus est meritum, & seipso remunerari.

Contra secundo: Meritum operationum Christi, respectu unionis humanitatis ad Verbum, vel est juxta inclinationem intrinsecam gratiae unionis, vel supra illius inclinationem: Si primum, tale meritum miraculosum non erit, sed Christo connaturale. Si secundum, implicat quod illam de condigno mereatur: meritum enim de condigno non excedit terminum inclinationis intrinsecae formae a qua suum valorem desumit: Ergo vel ascendendum est, potuisse connaturaliter Christum de condigno Incarnationem mereri, vel id non potuisse esse, etiam de potentia absoluta.

Contra tertio: Si non obisset dependentia essentialis operis a principio intrinseco, ut illud possit mereri, Christus per opera ab ipso procedentia, & subsequens Incarnationem, non solum unionem hypostaticam, sed etiam suam praedestinationem, seu decretum intentum Incarnationis, promereri potuit: Consequens non admittunt Adversarii: Ergo nec Antecedens admittere debent.

Respondent secundo, quod licet quando principium meriti datur absolute, non possit cadere sub merito, bene tamen quando non datur absolute, sed sub conditione futuri meriti, & dependenter ab illo, ut si Rex tribuat militi arma & equum, anticipata solutione, in stipendium futuri laboris & militiae, eodem equo & armis futurorum. Unde cum Deus potuerit conferre humanitati Christi beneficium unionis hypostaticae ad Verbum, sub conditione meriti in ea subsistendo exercendi, Christus per opera Incarnationem subsequens, eam potuit promereri.

Verum quomvis haec responsio videatur habere aliquam 30 apparentiam, in re tamen nihil habet soliditatis; nam quomvis illud a quo meriti valor non provenit, possit alicui dari intuitu & sub conditione meriti futuri, secus tamen illud a quo est omnis meriti valor. Cujus differentia ratio est, tum quia meritum postea subsquens, potest habere rationem praemii respectu illius a quo non desumit suum valorem, secus tamen respectu illius a quo totum valorem habet. Tum etiam, quia ex eo quod aliquid datur a quo valor meriti non desumitur, sub conditione meriti futuri, non sequitur quod idem sit causa & effectus respectu ejusdem, secundum eandem rationem, & in eodem genere & modo causae, quod tamen sequetur, si illud quod est principium totale meriti, daretur intuitu & sub conditione illius ut futuri. Unio autem hypostatica est principium a quo totaliter derivatur meritum Christi & in esse physico & in esse moris, cum omnia opera Christi procedant ab ipso supposito tamquam a principio quod, non vero ab humanitate, & valorem infinitum quom

tam in ratione meriti quam satisfactio habent, a verbo, ut unio humanitati, tanquam a principio formalis desumant.

31 Ad hoc quod, quando aliquid conceditur alteri sub conditione meriti futuri per illud exercendi, non datur illi simpliciter, sed solum quoad usum, ut eo mediante faciat sibi debitam ejus possessionem, & absolutum dominium: unde principium meriti, formaliter ut tale, non cadit sub merito; quia illud quod illi conceditur, & sub una ratione est causa meriti, sub alia vero est premium & effectus: est enim causa meriti, ut imperfecte, & quoad usum tantum possessum, est vero premium & effectus illius, quatenus perfecte & simpliciter translatum in dominium merentis. Ex quo sequitur, illud quod non potest alicui imperfecite, & suspensa donatione concedi, sed hoc ipso quod alicui conceditur, datur illi simpliciter, & ab ipso simpliciter habetur, non posse dari sub conditione meriti futuri, sed si conditio illa apponatur, erit impertinens. Principium autem meriti sive in Christo sive in aliis hominibus, cum sit unio hypostatica & gratia, non potest concedi solum quoad usum & donatione suspensa, quae nulla sit conditio non flatis: sed hoc ipso quod conceditur, simpliciter datur, & simpliciter habetur ab eo cui conceditur, sive postea sequatur operatio meritoria, sive non. Et ob hanc rationem non potest alicui dari esse sub conditione meriti futuri, quia esse nequit dari donatione suspensa & imperfecte, sed si alicui datur, simpliciter datur: unde nullus potest mereri suum esse, & suam creationem.

32 Ex his etiam patet, instantiam de equo & armis in anticipata solutionem futuri laboris & militie, a Rege militi concessis, nullius esse momenti. Primo quia valor hujusmodi laboris & meriti non derivatur ab equo, & armis, sed a virtute, prudentia, & arte militis: valor autem meritorius in operibus Christi, ab unione hypostatica procedit, & in aliis puris hominibus a prima gratia. Unde Sanctus Thomas 1. 2. questione 114. articulo 5. docet hominem non posse sibi mereri primam gratiam, & sibi tertio loco objicit istud argumentum, quod est precipuum adversariorum fundamentum. Apud homines aliquis potest promereri donum jam acceptum, sicut qui accepit opum a domino, meretur ipsum bene utendo eo in servitio domini. Ergo multo magis primam gratiam jam susceptam potest homo promereri a Deo per subsequens opera. Cui objectioni sic respondet, Ad tertium dicendum quod omne bonum opus hominis procedit a prima gratia, sicut a principio, non autem procedit a quocumque humano dono; & ideo non est similis ratio de dono gratia, & de dono humano.

Deinde dona que ab homine conceduntur, dari possunt imperfecte, & in usum, aut donatione suspensa, & que sic imperfecte habita, possunt adhuc cadere sub merito, ut perfecte & absolute habeantur: unde in exemplo adducto, equus & arma non concederentur militi a Rege, nisi imperfecte, & quoad usum, si sub conditione futuri laboris ei darentur: per hujusmodi vero laborem miles sibi feceret debitam absolute equi possessionem, absolutumque dominium ipsius acquireret. Unio autem hypostatica non potest concedi solum quoad usum, & donatione suspensa: sed eo ipso quod datur, simpliciter & absolute conceditur: & sic Deus non potuit humanitati Christi beneficium unionis hypostaticae ad Verbum conferre, sub conditione meriti in ea subsistendo exercendi.

33 Secundo probatur conclusio ratione quam insinuat S. Thomas quest. 29. de verit. art. 6. ubi sic dicitur: Meritum est causa promerendi, non quidem per modum finalis causae, sic enim magis promeretur est causa meriti: sed magis secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit premium dignum, & sic ad premium dispense. Id autem quod est causa per modum efficientis nullo modo potest esse posterius tempore ei cuius est causa, unde non potest esse quod aliquid meretur quod jam habet. Quod autem in humanis aliis pro accepto beneficio domino suo serviat, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti. Quibus verbis S. Doctor & exemplo a Suarez adducto responderet, & hanc rationem ad probandam nostram conclusionem insinuat. Meritum se habet ad premium, sicut medium ad finem, via ad terminum, dispositio ad formam, & causa efficiens, ad effectum: Sed implicat medium subsequi finem, & viam esse posteriori termino, dispositionem formae, & causam efficientem effectum: Ergo impossibile est meritum esse posterius termino, & per consequens Christum per opera subsequens incarnationem, eam de condigno vel de congruo promereri.

34 Tertio frateri potest conclusio, convellendo precipuum Suarez fundamentum, initio articuli propositum. Merita Christi in futura non poterunt movere Deum ab eterno, nec de condigno, nec de congruo, ad decernendam executionem suae incarnationis: Ergo executionem illam mereri non potuit Christus de condigno nec de congruo. Consequenter patet, meritum enim executionis incarnationis est illud duntaxat quod moraliter movet Deum vel de condigno, vel de congruo, ad executionem decreti suae incarnationis. Antecedens vero probatur: Merita Christi in futura, nullo modo precedere poterunt in scientia

Dei decretum quod habuit exequendi suam incarnationem: Ergo nec movere Deum ad habendum tale decretum. Consequenter est manifesta, nihil enim in futurum movere potest divinam voluntatem ad habendum aliquid decretum, nisi ut futurum precedat decretum illud saltem in scientia Dei. Unde Thomista in Tractatu de praedestinatione docent, & Suarez cum illis, merita non movere Deum ad praedestinandum homines; quia cum sint effectus praedestinationis, non precedunt ut futura in scientia Dei, sed eorum futuritio posterior est praedestinatione, seu decreto quo homines eliguntur ad gloriam, juxta illud D. Properi 2. de vocat. Gentium cap. 35. Deus hic qui eligis sine meritis, dat unde ornatur ex meritis. Antecedens vero probatur & explicatur: Cum merita Christi non possint intelligi ut futura, nisi eo ipso intelligatur Christus ipse futurus in tempore: Christus autem futurus in tempore concipi nequeat, non praesupposito decreto divino exequendi incarnationem, manifestum est implicare omnino, quod merita Christi tale decretum in cognitione seu praesentia Dei praecederint.

Dices, Christus & ejus merita cognosci poterunt a Deo ut futura, praesupposita dumtaxat intentione quam habuit sese incarnandi, abstracto a decreto illam intentionem exequendi: Ergo sic cogita & praevisa, merita moverunt Deum ad volendum executionem incarnationis.

Sed contra: Merita Christi non sunt futura, saltem infallibiliter, nisi ex vi intentionis efficacis illorum: Sed intentio non est efficax, si praesentat a voluntate executionis: Ergo saltem omnino est, quod Deus praevideat poterit merita Christi ut futura, in intentione quam habuit sese incarnandi, abstracte a decreto illam exequendi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

35 Licet praecipua Adversariorum fundamenta soluta maneant ex dictis paragrapho precedenti, exponendo rationes nostrae conclusionis, ut tamen eorum debilitas magis appareat, ea breviter proponemus ac diluamus.

Obijcit ergo primo: Principium meriti potest de potentia absoluta cadere sub merito operis precedentis ab ipso: Ergo potuit Christus per opera subsequens incarnationem ipsam mereri. Consequenter patet ex supra dictis. Antecedens vero probatur primo, quia principium effectivum actus potest ab ipso dispositivo causari & de facto sic contingere in gratia habituali respectu actus contritionis, docuimus in Tractatu de justificatione, disputatione 1. art. 8. Ergo pariter principium meriti poterit ab illo meritorie causari. Secundo antiqui Patres meruerunt de congruo incarnationem Verbi, ut dicemus articulo sequenti, & tamen illorum gratia fuit effectum meritoriam Christi, nedum in genere causae finalis, verum etiam in genere causae efficientis moralis, ut tenet communior Theologorum sententia: Ergo principium meriti potest cadere sub merito, saltem de congruo.

36 Respondo distinguendo Antecedens: Principium meriti pure effectivum, potest de potentia absoluta cadere sub merito operis precedentis ab ipso, transeat Antecedens. Principium meriti effectivum & formale, nego Antecedens, & Consequentiam. Nam gratia unionis non solum est principium effectivum formale, non in esse physico, sed in genere moris: cum operationes Christi Theandricae, a persona Verbi Divini ut a forma, valorem infinitum in esse moris recipiant. Ex quo patet solutio ad utramque probationem Antecedens, seu disparitas ad duo exempla ibidem adducta; nam actus contritionis non constituitur formaliter in ratione dispositionis ad gratiam, per ipsam gratiam, sed per propriam entitatem a gratia efficienter causatam; nec merita antiquorum Patrum, per incarnationem Verbi constituta fuere formaliter, sed tantum ab illa efficienter moraliter, seu meritorie causata. Ad hoc quod Christi merita praesentantur futura ante decretum conferendi gratiam antiquis Patribus, cum Christus sit causa meritoria praedestinationis hominum: ut non praesentantur futura ante decretum exequendi incarnationem, ut supra contra Suarez ostendimus: unde licet Christus gratiam antiquis Patribus meruerit, suam tamen incarnationem mereri non potuit.

37 Obijcit secundo: Christus mereri potuit executionem unionis hypostaticae, si ejus merita ut futura praevideri poterunt a Deo prius prioritate naturae, quam vellet exequi intentionem quam habebat sese incarnandi: Sed poterunt merita Christi ut futura praevideri a Deo: Ergo & Christus mereri potuit executionem suae incarnationis. Major est certa, si enim merita Christi ut futura, prius a Deo videri poterunt, quam vellet intentionem sese incarnandi exequi, movere poterunt ipsum ad volendum executionem incarnationis. Minor vero probatur: Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, est prior decreto illam exequendi: Sed in illa intentione incarnationis, ut in priori decreto executionis ejus, poterunt merita Christi pra-

si praevideri ut futura: Ergo prius prioritate naturae quam vellet Deus exequi intentionem suae incarnationis, poterunt merita Christi a Deo praevideri ut futura.

38 Confirmatur: Licet praedestinatio hominum in communis doctrina Thomistarum, fiat ante praevisa merita, praevisto tamen meritorum praesentiam in mente divina decreto executionis talis praedestinationis, ut in Tractatu de praedestinatione docuimus: disp. 2. art. 1. §. 9. corol. 4. Ergo similiter, licet praedestinatio Christi, sive intentio incarnationis, sit prior in intellectu Dei praevisione meritorum Christi, prius tamen merita illa praevideri poterunt a Deo quam decerneret exequi intentionem suae incarnationis.

39 Ad objectionem respondeo concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, distinguo Majorem. Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, ut abstrahit a sui efficaciam, est prior decreto illam exequendi, concedo Majori. Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, ut efficaciam est, prior est decreto illam exequendi, nego Majori. Sic enim considerata importat voluntatem executionis, subinde non est illa prior. Unde quia merita Christi ut futura praevideri non poterunt a Deo in intentione incarnationis, nisi ut efficaciam, & haec intentio non est efficaciam non praecedit decretum suae executionis, non potuit Deus priusquam vellet executionem suae incarnationis, praevidere merita Christi ut futura.

40 Ad objectionem, nego consequentiam & paritatem: Ratio disparitatis est, quia merita hominis praedestinati non dependent ab executione praedestinationis ejus, tanquam a causa efficiente, sed potius e contra ipsa executione praedestinationis, est effectus meritorum praedestinati. At vero merita Christi habent pro sua causa efficiente, non solum intentionem incarnationis, sive praedestinationem Christi, sed etiam ejus executionem, ut ex supra dictis patet.

§. III.

Corollaria precedentis doctrinae.

41 Ex dictis colliges primo contra Suarez supra citatum, & alios Recentes, Christum nec meruisse, nec potuisse mereri suae incarnationis continuationem. Nam incarnatio continuata idem est cum incarnatione ut primo producta: Ergo si incarnatio ut primo producta non potest cadere sub merito Christi, id etiam non poterit incarnatio ut continuata. Consequenter patet. Antecedens probatur. Continuatio unionis hypostaticae, nihil omnino addit supra ea quae ex vi suae primae productionis ipsi competunt, non enim continuatur in esse per additionem alicujus, puta partis, gradus, aut etiam auxilii divini, vel actionis, quia est tota simul, & mensuratur duratione omnino indivisibili, sicut aeternitate participata, cum sit omnino immutabilis & permanens, ut docet S. Thomas infra q. 50. art. 2. in 3. dist. 21. q. 1. & ibidem ad Annibaldum.

42 Dices, Licet unio hypostatica, ut continuata non addat aliquid reale supra seipsum ut primo productam, addit tamen aliquid virtualiter, quia dicit seipsum ad habet succedentem extrinsecam per coexistentiam ad nostrum tempus, quod non dicit unio, ut primo producta. Sed contra: Principium meriti, utpote causa efficiens moralis praemii, debet realiter distingui ab illo, sicut in simili dicitur de causa efficiens physica respectu sui effectus: quoad hoc enim est eadem ratio de causalitate physica ac de morali, cum etiam causalitas ista moralis sit realis. Ergo licet unio hypostatica, ut continuata, ut coexistens tempori, distingatur virtualiter a seipsa ut primo producta, non potest tamen cadere sub merito Christi, cum talis unio, ut primo producta, sit principium totius meriti Christi, subindeque sub ejus merito cadere nequeat, ut supra ostendimus.

43 Confirmatur: Gratia via, quatenus continuata, nequit esse premium meriti precedentis ab ipsa, quatenus primo producta, alias donum perseverantiae posset cadere sub merito de condigno operum pure creaturae, cujus oppositum in Tractatu de merito docuimus disp. 2. art. 9. At non alia ratione, nisi quia inter gratiam, quatenus primo productam, & quatenus continuatam, non intervenit realis distinctio: Ergo si continuatio incarnationis non distingatur realiter a prima ejus productione, non poterit cadere sub merito de condigno operum, quae Christus in primo suae incarnationis momento elicuit.

44 Neque oblat quod per Dei potentiam poterit unio hypostatica non esse in tempore futuro, & divina voluntas poterit decernere incarnationem, non decernendo ex vi hujus decreti continuationem illius: hoc enim sicut non arguit continuationem unionis fieri per additionem novae realitatis, ita nec probat illam posse cadere sub merito.

Colliges secundo contra Delugo, Vasquez, Ripaldam, aliosque Recentes, Christum non meruisse Virginis

maternitatem, hoc est ex Beatissima Virgine concipi & nasci, nec alias circumstantias incarnationem antecedentes, vel concomitantes.

Probat breviter: Principium mediatum meriti non potest cadere sub merito actus cujus est principium: Sed Beatissima Virgo fuit principium mediatum meritorum Christi Domini, quatenus fuit principium humanitatis, quae exiit illorum meritorum immediatum principium, Ergo non potuit sub ratione principii, nec proinde sub ratione Matris, sub eisdem meritis cadere.

45 Respondet Delugo, Christum, esse in primo sui esse, & in sui connaturali conservatione, dependentiam a Beatissima Virgine habuerit, in sui tamen conservatione miraculosa, qualiter fuit ante mortem conservatus, nullam ab illius concursu dependentiam habuisse, & ex meritis Christi praevisi in praedicto statu, fuisse electam Beatissimam Virginem in Matrem ipsius. Itaque vult Christum oratione in horto ter iterata, sic timori mortis & impendentium suppliciorum laxasse habenas, & permisit in se savire, ut enota & convulsa totius corporis compage, mors inevitabiliter ingrueret, nec arceri potuisset, nisi auxilio vi generationis maternae debito, aliud validius, quo servaretur & fulciretur, singulari miraculo suffectum fuisset; & tunc humanitatem Christi hoc novo concursu servatam, & influxu B. Virginis exemptam, meruisse illius maternitatem, per opera quae tunc exercuit.

46 Verum haec doctrina & solutio adeo subtilis est, ut desinat in arismet, ut belle ait vir e Societate gravissimus: Nec solum inutilis & absurda est, sed non videtur etiam aliqua specie impietatis carere, quod Christum redemptorem suae Matris, majorum, & subinde totius generis humani constituit, cum desinit esse filius Virginis, seu quod perinde est, cum nihil servavit eorum quae ex generatione matris, & ex filiatione receperat.

47 Ad hoc quod Augustinus de praedest. Sanct. cap. 15. loquens de Christi conceptione ex Virgine, sic ait: *Negus retribuitur est ista generatio, sed tributa, ut altius ab omni obligatione peccati de Spiritu & Virgine nasceretur: At si fuisset premium meritorum Christi praevisi miraculose viventis & operantis, in praedicto statu fuisset retributa, & non gratis tributa: sicut quia gratis antiquorum Patrum fuit premium meritorum Christi, non dicitur tributa, sed retributa, comparative ad Christum: Ergo juxta Augustinum conceptio Christi ex Virgine, subindeque Beatissima Virginis maternitas non fuit ex meritis Christi praevisi ut miraculose viventis & operantis.*

Confirmatur: Augustinus exemplo hujusmodi conceptionis ibidem probat contra Pelagianos, primam gratiam ad credendum gratis omnino donari: At prima gratia in nobis non solum non est ex meritis precedentibus, sed nec etiam ex meritis subsistentibus, in Dei praevisione existentibus: Ergo nativitas Christi ex Virgine, non solum fuit gratia, per exclusionem meritorum antecedentium, sed etiam per exclusionem meritorum subsequentium Christi ut praevisi miraculose viventis & operantis.

48 Contra hoc corollarium obijcit Adversarii: Beatissima Virgo meruit esse mater Christi, & illum in se concipere, merito saltem de congruo: Ergo Christus meruit Virginis maternitatem, siveque nativitatem ex illa. Antecedens constat ex infra dicendis. Consequenter vero probatur primo, quia nulla dignitas est Virgini concedenda, quae non attribuitur Christo: Ergo si Virgo meruit esse mater Christi, Christus etiam meruit Virginis maternitatem, siveque ex illa nativitatem. Secundo, gratia in vi cujus meruit Virgo Christi maternitatem, fuit effectus meritorum Christi, non solum in genere causae finalis, sed etiam in genere causae efficientis moralis, ut plures existimant: Sed quod est causa causae, est etiam causa causata: Ergo Christus merens gratiam causantem moraliter maternitatem Virginis, & sui nativitatem, meruit etiam eandem Maternitatem, & nativitatem ex Virgine.

49 Respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam, ad cujus primam probationem dicendum, verum esse Antecedens de his quae non pertinent ad principium meritorum Christi, saltem tamen de spectantibus ad illud, & quia nativitas Christi ex Virgine fuit via ad existentiam incarnationis, quae fuit Christo principium merendi, sic consequens ut quavis concedatur Virgini congruum Maternitatis & incarnationis meritum, non sit Christo concedendum meritum illarum condignum.

Ad secundam, concessa Majori, distinguo Minorem, Quod est causa causae infallibiliter inferens effectum, concedo Minorem. Quod est causa causae non sic inferens effectum, nego Minorem & Consequentiam. Nam merita Beatissimae Virginis non fuere causam ab intrinseco infallibiliter inferens nativitatem Christi, nec Maternitatem, & ideo quavis Christus suis meritis fuerit moralis causa gratiae & meritorum Virginis, non sequitur sui nativitatem ex Virgine meritorie causasse.

49 Colliges ergo, Christum meruisse circumstantias Incarnationis consequentes, quia ille non praequiruntur merito ipsius, nec se tenent ex parte principii merendi, sed ad illud subséquuntur; unde nihil impedit quominus cadere poterint sub merito Christi. Meruit ergo Christus Pastorem & Magorum adorationem, apparitionem stellis, fugam in Aegyptum ad evitandam praematuram mortem, curam & sollicitudinem Sacratissime Virginis & Beati Josephi &c.

50 Ex eodem principio sequitur, Christum meruisse extensionem unionis hypostaticae ad eas substantias partes quas acquirere per nutritionem. Quamvis enim probabiliter dici possit, extensionem illam fuisse Christo debitam ex vi prioris unionis, & ex illa fuisse sequutam sine aliquo merito; magis tamen consonum est dignitati & excellentia Christi, asserere eam fuisse debitam Christo, nedum titulo seuque, ex vi prioris unionis, sed etiam titulo meriti: sicut etiam gloria corporis fuit Christo debita titulo meriti, atque ita fuit ad tempus impedita, ne redundaret ex gloria animae, ut eam posset actualiter mereri.

51 Dices: Si Christus potuit mereri extensionem unionis hypostaticae ad illas substantias partes quas continuo acquirerebat per nutritionem, etiam potuit mereri continuationem Incarnationis. Sequela probatur. Qui meretur ea quae sunt necessaria ad conservationem alicujus rei, meretur ejus continuationem: Sed extensio unionis hypostaticae ad illas partes quae per nutritionem accrescunt, erat necessaria ad ejusdem unionis conservationem: Ergo si Christus meruit illam extensionem, meruit etiam Incarnationis continuationem.

52 Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem, distinguo Majorem: Qui meretur ea quae sunt necessaria per se & immediate, concedo. Remota & per accidens, nego. Extensio vero unionis hypostaticae ad partes de novo per nutritionem advenientes, erat solum remote & per accidens requisita, in quantum nutritio erat necessaria ad conservationem vitae ipsius; unde modo Christo non indigente nutritione, sine illa unio hypostatica continuatur.

Colliges ultimo, Christum meruisse reunionem sua humanitatis ad Verbum Divinum, quae fuit facta in resurrectione.

53 Explicatur hoc corollarium: In Christi resurrectione duplex unio intercessit. Prima est unio, seu potius reunio animae cum corpore, quam certum est, & concedunt omnes Christum sua sanctissima passione meruisse. Secunda est conjunctio personalis totius naturae humanae cum Verbo Divino, quae per mortem Christi esse desierat. Licet enim certum sit secundum fidem, partes humanitatis separatas, nimirum animam in Lybno existentem, & corpus in sepulchro reconditum, & forma cadaveris informatam, manifeste unitas personalitati Verbi in triduo mortis: quod enim Christus assumpsit, nunquam dimisit: nihilominus tota humanitas non mansit unita Verbo, quia tota humanitas non dicit partes quomodocumque & ad invicem separatas, sed reatit inter se conjunctas, ut anima aeternae & vivificet corpus. Tota ergo humanitas Christi fuit solum reunita Verbo Divino in instanti resurrectionis Christi, in quo anima ejus gloriositer corpus ejus vivificavit: ex qua unione cum corpore, consecuta est etiam reunio totius humanitatis cum personalitate Verbi: quae reunio fuit veluti quaedam restitutio unionis hypostaticae, quae fuerat per mortem Christi dissoluta; & hanc reunionem humanitatis cum Verbo dicimus Christum meruisse.

54 Ratio est, quia quae per se pertinent ad resurrectionem, referenda sunt in meritum ipsius Christi: Sed ad resurrectionem Christi per se pertinet haec reunio: Ergo Christum illam meruisse dicendum est. Major patet, nam Christus meruit suam resurrectionem, ut ostendimus infra cum agamus de merito Christi. Minor vero probatur: Ad resurrectionem Christi per se pertinet non solum quod partes ejus, scilicet anima & corpus, reuniantur, & componant humanitatem, sed etiam quod illam componant, non quomodocumque, sed in ipsomet supposito Verbi Divini; si enim illam non componeret in eodem supposito Verbi Divini, jam non resurgit idem Christus, qui est persona composita ex hac humanitate & personalitate Verbi Divini. Potestque confirmari ex illo Apocal. 5. dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & dignitatem. Christus enim divinitatem accepit in resurrectione per reunionem totius humanitatis cum persona Verbi, quae fuit veluti restitutio unionis hypostaticae.

55 Dices primo: Talis unio humanitatis cum persona Verbi, facta in resurrectione, consequitur ad unionem factam in Incarnatione, & ad reunionem partium humanitatis inter se, factam in resurrectione: Ergo non cadit sub merito Christi. Antecedens est certum, ex eo enim quod in Incarnatione humanitas fuerit assumpta a Verbo inamissibiliter, sequitur quod quocumque humanitas extiterit, sit unita Verbo Divino: Unde cum in resurrectione humanitas Christi, quae per mortem destructa fuerat, iterum fuerit reparata per unionem animae cum corpore, sequitur quod illa humanitas hoc ipso fuerit reunita Verbo Divino.

Consequenter vero probatur: Illud non cadit sub merito, quod naturali sequela consequitur ad aliud quod gratis concessum est; haec enim ratione Christus habuit gratiam, beatitudinem, scientiam infusam, virtutes infusas, & dona Spiritus sancti, sine meritis; quia haec consequuntur ad unionem hypostaticam, quae gratis illi concessa est: Ergo cum prima unio facta in Incarnatione, & similiter reunio animae cum corpore facta in resurrectione, fuerint concessae gratis, & nullis precedentibus meritis ipsius Christi, idem dicendum erit de restitutione unionis hypostaticae facta in resurrectione.

Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: Ad probationem dicendum illud, quod naturali sequela consequitur ad aliud quod gratis concessum est, non cadere sub merito, si illud quod gratis concessum est, per aliquod tempus non desinat: si autem desinat per aliquod tempus, tunc potest illud quod consequitur cadere sub merito; unde cum prima unio totius humanitatis cum persona Verbi Divini, facta in Incarnatione desierit in morte Christi, desinere ipsa humanitas, potuit deinde restitutio illius unionis, facta in resurrectione, cadere sub merito Christi. Ad illud vero quod dicitur de reunionem partium humanitatis, facta in resurrectione, respondetur illam non esse omnino gratuitam, sicut fuit prima unio hypostatica facta in Incarnatione: Christus enim per se primo meruit talem reunionem partium inter se, & ex consequenti reparationem totius humanitatis, & restitutionem unionis hypostaticae factam in resurrectione.

Dices secundo, Eadem fuit unio hypostatica totius humanitatis facta in resurrectione, ac ea quae facta est in utero beatae Virginis, in instanti conceptionis Christi; eadem enim numero fuit humanitas, eadem substantia Verbi Divini, nulla de novo interveniente actione unitiva: Ergo si Christus primam unionem non meruit, neque secundam mereri potuit.

Respondeo eandem quidem fuisse unionem, sed discontinuatam, & interruptam, prima enim unio hypostatica totius humanitatis cum Verbo, fuit dissoluta in morte Christi, destructa ipsa humanitas; unde licet Christus non meruerit primam unionem factam in instanti conceptionis, potuit tamen mereri reparationem, seu restitutionem ejusdem unionis, factam in instanti resurrectionis.

ARTICULUS III.

Utrum SS. Patres meruerint, aut saltem mereri potuerint Incarnationem, ejusque circumstantias, de congruo?

§. I.

Quibusdam praeiudicis referatur sententia; & vera eligatur.

Nota primo, nomine Sanctorum Patrum, intelligi viros illos sanctos, sive legis naturae, sive legis scriptae, quibus futuri Medici facta fuit specialis a Deo revelatio; aut promissio.

Notandum secundo, plura posse in Incarnatione considerari, nimirum ejus substantiam, illius accelerationem, & alias circumstantias, ejusque effectus, qui sunt praecipue duo, scilicet justificatio animarum, & aperiatio januae regni caelestis, id est ablatio illius indignitatis, quae remanebat in tota natura humana, ex eo quod caput illius Deum offenderat; unde sicut quod quantumque particulae homines iusti essent, impediebantur a consecutione gloriae, quoad usque satisfactio equalis & condigna exhiberetur ab aliquo individuo ejusdem naturae.

Nota tertio, congruitatem dupliciter accipi posse. Uno modo pro congruitate fundata in pura misericordia Dei, si ne aliquo jure, sive debito ex parte operis. Alio modo pro congruitate fundata in proportione amicitiae, & in opere gratiae facta ab amico: amicitia enim, cum sit pars potentialis iustitiae, fundat aliquod debitum, etiam non strictum & rigorosum, sicut meritum de condigno. Hic ergo loquimur de merito congrui hoc secundo modo, dum inquirimus, an SS. Patres meruerint saltem de congruo Incarnationem. His praemissis

Circa propositam difficultatem tres versantur Theologorum sententiae, duae extremae, & altera media. Prima quae est D. Bonaventurae in 3. dist. 3. art. 2. q. 2. asserit SS. Patres meruisse de condigno substantiam Incarnationis, non quantum ad principalem ejus effectum, qui est justificatio animarum, sed quantum ad alium minus principalem, qui est aperiatio regni caelestis. Hanc sententiam limitat Medina ad potentiam Dei absolutam, secundum quam ipse vult potuisse sanctos Patres simpliciter & absolute mereri de condigno substantiam Incarnationis, si intercessisset divina promissio.

Secunda huic immediate opposita, contendit SS. Patres non solum non meruisse de condigno, sed nec etiam de congruo Incarnationem: Ita Vasquez hic dist. 22. cap. 4. Theophilus Raynaudus lib. 3. de Christo secta. cap. 1. & alii

alii Recentiores, qui licet concedant meritum de congruo respectu Incarnationis, quantum ad accelerationem, aliaque circumstantias, respectu tamen substantiae Incarnationis illud negant, eo quod principium meriti, non possit cadere sub merito, etiam de congruo.

Pro explicatione tertiae, quae est communis in Schola D. Thome, & meriti quidem de condigno Incarnationis denegat SS. Patribus qui illam praecedunt, sed, meritum de congruo illis tribuit, tam respectu substantiae, quam circumstantiarum illius.

Dico primo, Sanctos Patres, nec meruisse, nec potuisse mereri de condigno Incarnationem quantum ad substantiam.

61 Prima pars patet ex variis Scripturae locis, quibus unio Verbi cum humanitate immensa Dei misericordiae ac benignitati tribuitur, immo ab ea humana merita remouentur. Sic ad Titum 3. Apostolus: Apparuit (inquit) benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam Salvator nos fecit. Idem sonant illa verba Lucae 1. Per visceram misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto? Et illa Ephes. 2. Propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos Deus, cum essetis mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. Ea ipsa de causa Christus ad Hebraeos 2. dicitur Gratia Dei: Ergo ex Scriptura, antiqui Patres non meruerunt de condigno Incarnationem.

Id ipsum manifeste convincit improprio quorumvis aeternum pure creaturae cum tali praemio condigne promerendo: est enim adeo sublime & eminentes, & supra totum ordinem gratiae ita elevatum, ut omnis nostrorum meritorum tenuitas subus jaceat, nec ad illud exaequandum possit asurgere: nulla igitur pura creatura condigne de facto promerit unionem humanitatis Christi cum Verbo.

62 Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Ut aliquod opus sit meritorium de condigno alicujus praemii, requirit quod sit aequalis valoris & dignitatis cum ipso: Sed nullum opus SS. Patrum fuit ejusdem valoris cum substantia Incarnationis: Ergo SS. Patres enim non meruerunt de condigno, quantum ad substantiam, per bona opera quae elicerent. Major patet; condignitas enim meriti consistit formaliter in aequalitate ad praemium, non quidem omnimoda sed proportionis: unde dicitur meritum condignum, quasi simul & aequaliter dignum. Minor vero probatur: Opera antiquorum Patrum nec erant in ordine altiori, nec ex perfectiori gratia procedebant, quam opera meritoria aliorum iustorum: At Incarnatio quoad substantiam excedit in perfectione & valore excellentiam & valorem operum cujuslibet iusti: Ergo nullum opus SS. Patrum fuit ejusdem valoris cum substantia Incarnationis. Major constat, Minor probatur ex eo quod augmentum gratiae & gloriae est praemium condignissimum omnium operum nostrorum, quia non sunt nisi in ordine gratiae, cujus summa perfectio & complementum ultimum est gloria, seu visio beatifica.

63 Confirmatur amplius: Ita se habet cum proportione ordo gratiae ad ordinem unionis hypostaticae, quantum ad meritum de condigno, sicut se habet ordo naturae ad ordinem gratiae: Sed in toto ordine naturae nihil potest esse meritorium de condigno ordinis gratiae: Ergo nec in toto ordine gratiae aliquid esse potest meritorium de condigno unionis hypostaticae: unde cum bona opera SS. Patrum, qui Incarnationem praecedissent, solum ad ordinem gratiae pertinerent, non erant meritoria de condigno unionis hypostaticae quantum ad substantiam.

Responderet D. Bonaventura, quod quamvis opera SS. Patrum non adaequarent in valore substantiam Incarnationis, vel ejus effectum principalem & primum, effectum tamen secundarium & minus principalem, qui est aperiatio januae regni caelestis, exaequabant, subindeque Incarnationem, quantum ad effectum illum secundarium, de condigno mereri poterunt.

64 Sed contra: Illud solum adaequat in valore aperiatioem januae regni caelestis, quod procedit a gratia capitis, quae est gratia universalis: At SS. Patres non operabantur ex gratia capitis, quam non habebant, sed ex gratia personalis: Ergo illorum bona opera non adaequabant in valore Incarnationem, etiam quantum ad illius effectum secundarium, & minus principalem, qui est januae caelestis aperiatio. Minor est certa, Major vero suadetur. Bonum commune toti humano generi excedit in valore opus procedens a gratia personalis, quia illud est praemium correspondens gratiae capitis, quae est majoris valoris, quam gratia personalis: Sed aperiatio regni caelestis est bonum commune totius humani generis: Ergo excedit in valore opus procedens a gratia personalis, & non nisi ab opere procedente a gratia capitis adaequari potest.

65 Ex dictis constat manet sententia Medinae, & probata secunda pars conclusionis: Nam cum opera SS. Patrum ad ordinem gratiae pertinerent, non solum non habebant, sed nec habere poterant aequalem valorem & dignitatem cum Incarnatione, quae est ordinis altioris, scilicet hypostatici, qui cum infinitam Verbi Divini personalitatem involvat, est perfectionis quodammodo infinita, ut docet S. Tho-

mas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. & magis excedit ordinem gratiae, quam ordo gratiae ordinem naturae.

Nec valet quod ait Medina, Extrinsicam Dei ordinationem potuisse supplere talem improprietatem, & reddere opera SS. Patrum aequalis ordinis & dignitatis cum Incarnatione. Non valet, inquam, nam extrinseca illa Dei ordinatio non elevaret illa opera supra ordinem gratiae: secundum non tribueret illis valorem alterius rationis quam secundum se haberent, subindeque si secundum se non haberent valorem meritorium de condigno Incarnationis, & intrinsicam proportionem cum illa, illam a divina ordinatione non reciperent. Consequenter manifesta est, Antecedens vero probatur. Illa extrinseca Dei ordinatio non faceret quod hujusmodi opera elicerentur a principio digniori, quam sit gratia: Ergo non elevaret illa supra ordinem gratiae, nec consequenter redderet proportionata ordini hypostatico.

Confirmatur: Ex hac responsione, & doctrina Medinae, sequitur quod opera minus bona & digna possent de condigno mereri praemium majus, & altioris ordinis, quam opera meliora & magis digna: Sed hoc manifestam involvit contradictionem, dicunt enim opera magis vel minus meritoria de condigno, quia sunt magis vel minus digna: Ergo &c. Sequela Majoris patet, quia potest operibus minus dignis advenire extrinseca Dei promissio & ordinatio, nihil intrinsicum illis conferens; & consequenter illa non magis dignificans, quae non adveniret operibus magis secundum se dignis; & sic humilitas Davidis v. g. potuisset mereri de condigno Incarnationem, non vero humilitas B. Virginis, quae multo perfectior & praestantior fuit.

Neque obstat quod si Deus promississet alicui operi Incarnationem, per tale opus fieret quodammodo debita; hoc enim non proveniret ex condignitate talis operis, sed tantum ex fidelitate Dei, qui non potest non stare promissis, quamvis opera ex natura sua non exigant quod promissum. Nec est simile de gratia respectu gloriae, licet enim possit Deus habenti gratiam denegare gloriam, ex absoluto dominio: hoc tamen non impedit quin opera elicta a gratia & caritate, exigant tanquam praemium filii connaturale & ejusdem ordinis, ipsam gloriam quam respiciunt tanquam ultimum finem, cum gratia sit *fontis aquae salubris in vitam aeternam*, ut dicitur Joann. 4.

Ex dictis inferes, antiquos Patres non meruisse nec potuisse mereri de condigno circumstantias intrinsicae Incarnationis: quia circumstantiae intrinsicae alicujus operis, formaliter & ut sic consideratae, sunt ejusdem ordinis cum ipso: unde circumstantiae intrinsicae Incarnationis pertinent ad ordinem hypostaticum, sicut substantia illius: Ergo si antiqui Patres non potuerint mereri de condigno substantiam Incarnationis, eo quod opera illorum pertinerent ad ordinem gratiae, qui est inferior hypostatico, eodem rationem non potuerunt mereri de condigno circumstantias intrinsicae illius. Dixi circumstantias intrinsicae, quia si sermo sit de circumstantiis pure extrinsecis, quales sunt circumstantiae temporis & loci, satis probabile est, SS. Patres illas de condigno potuisse mereri, quia cum illae per se non pertineant ad Incarnationem, sed per accidens tantum, etiam per accidens tantum spectant ad ordinem hypostaticum. Unde S. Thomas in 3. ad Annibaldum dist. 4. q. unica art. 4. in corpore, expresse docet accelerationem Incarnationis potuisse cadere sub merito de condigno, ait enim: *Sancti Patres Incarnationem meruerunt merito congrui, scilicet se ad suscipiendum tantum beneficium praeparando; & non merito condigni, quia non eam per meritum hoc modo debitam sibi fecerunt, quamvis sic potuerint mereri ejus accelerationem*. Si nimirum pactum & promissio ex parte Dei intervenisset.

Dico secundo, SS. Patres meruerunt de congruo Incarnationem, & quantum ad substantiam, & quantum ad accelerationem, aliaque circumstantias.

Ita S. Thomas hic art. 11. ubi sic ait: *Ex congruo meruerunt SS. Patres Incarnationem, desiderando & petendo: congruum enim erat ut Deus exaudiret eos qui eisdem obsecrarent. Ubi cum S. Thomas dicit quod SS. Patres meruerunt Incarnationem petendo & desiderando, manifestum est quod loquitur de substantia Incarnationis, & non solum de circumstantiis, quia SS. Patres non solum petebant & desiderabant accelerationem & alias circumstantias, sed etiam ipsam Incarnationis substantiam, seu ipsius Christi adventum. Idem docet in 3. sent. ad Annibald. dist. 4. q. unica art. 4. verbis quae supra retulimus.*

His etiam locis S. Doctor rationem fundamentalem nostrae conclusionis insinuat: nam SS. Patres piis & instantibus precibus, & ferventibus desideris, Deum sollicitarunt ut mitteret Filium suum in mundum, ut patet ex illo Isaia 45. *Rorate cali desuper & nubes pluant justum, aperiantur caeli & descendent. Illi autem preces & desideria habebant rationem meriti de congruo respectu adventus Filii Dei: Tum quia congruum erat ut Deus eos exaudiret qui ipsi obediebant. Tum etiam, quia ut docet S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. orationes de necessitate ad salutem, merentur de congruo*

orantibus ea que postulant. Ad quod sancta illa desideria disponant antiqui Patres ad recipiendum Christum: Sed illa dispositiones morales habebant rationem meriti de congruo: Ergo SS. Patres meruerunt de congruo substantiam Incarnationis, seu adventum Filii Dei in mundum.

72 Idem dicendum de acceleratione Incarnationis, quam etiam plerique peccati iusti, piis & infantibus precibus, & ferventissimis desideriis de congruo meruerunt. Sic Daniel. 9. dicitur abbreviatum fuisse tempus Messie, quia Daniel vir desideriorum erat. Et Psalm. 11. David ex ore Dei pronuntiavit: Propter misericordiam inopum & gemitum pauperum, quare exurgam, quod passim Patres de adventu Christi, propter Sanctorum Patrum attenditissima vota accelerato, interpretantur. Et apud Malachiam cap. 3. Christus dicitur: Demittite quem vos queritis: & Angelus testamenti quem vos vultis, qui & idcirco dicitur venturus statim.

73 Accelerationis porro nomine non est intelligendum quod cortex vocabuli praefert, nempe quod Christus venerit ante tempus, quod decretum antea erat illum esse venturum, id enim immutabilitati divini decreti repugnat. Sed nomine accelerationis oportet intelligere virtuosam antecessionem in Christi productione, sitam in eo quod Deus ab aeterno propter merita antiquorum Patrum praevia dependenter a Christo prius ratione praedestinato, sanxerit ut Christus in aliquo certo tempore fieret, & non in ulteriore, in quo aliqui fieri potuissent, vel etiam factus fuisset, nisi petitiones & merita iustorum praedictorum intervenissent.

74 Hinc colligitur SS. Patres meruisse de congruo alias circumstantias Incarnationis, quod patet inductione, nam Scriptura Genes. 22. significat Abraham immolantem filium suum meruisse sua obedientia, ut ex semine ipsius Christus nasceretur: Benedicentur in femine tuo omnes gentes terrae, quia desisti tui m. Ecce Regum 7. David pro bona voluntate edificavit templum Domino magnificentissimum, accepit hanc promissionem in remunerationem: suscitabo tibi regnum post te &c. Et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem. & ipse erit mihi in filium. Quae verba de Christo interpretatur Apostolus ad Hebraeos 1. Similique modo B. Virgo, puritate & humilitate, aliisque virtutibus eximis, de congruo meruit esse Mater Dei, ut infra ostendemus.

75 Ad quod antiqui Patres meruerunt Incarnationem eo modo quo postularunt: At non postularunt eam nude, sed cum omnibus circumstantiis: Ergo eam meruerunt cum omnibus circumstantiis. Major patet ex dictis, nam ipsam postulationem erat meritum de congruo. Minor vero probatur, quia postulabant Incarnationem ut operantem, petebant enim Christum ad Salvatorem formaliter, & Redemptorem. Sed Incarnatio ut operans, importat circumstantias temporis, loci, personarum, &c. Ergo antiqui Patres non postularunt Incarnationem solum quantum ad substantiam, sed etiam cum omnibus circumstantiis. Unde quando D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 4. asserit promissionem quam Deus fecit Abrahae, ut Christus ex ejus femine nasceretur, non fuisse propter meritum ipsius, sed ex gratuita Dei electione & vocatione, non aliud intendit, quam merita Abrahae non fuisse motum praedestinationis Incarnationis, etiam quoad circumstantias personarum ex quibus Christus erat nasciturus. Cum quo tamen fiat quod fuerit motum secundarium executionis illius, etiam quoad hujusmodi circumstantias: ita ut Deus primo simpliciter praedestinavit Christum nasciturum ex tali femine, scilicet Abrahae, & in alio signo subsequenti ordinaverit Abraham & alios ab eo descendentes, ad tantum bonum dispen per sua bona opera, quae prius erant futura ordine executionis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

76 Obijcies primo contra primam conclusionem: Antiqui Patres meruerunt de condigno regnum caelorum: Ergo & apertionem illius, subindeque & ipsam Incarnationem, quantum ad effectum ejus secundarium & minus principalem.

Respondeo cum D. Thoma in 3. dist. 18. quest. 1. art. 6. questione. 2. ad 2. quod antiqui Patres meruerunt introitum paradisi, quantum ad id quod persona est, sicut & nos, tamen quod removeretur impedimentum quod erat ex parte naturae, mereri non potuerunt, & ideo semper remanebat eis janua clausa. Duo itaque clauderant caelos ante Incarnationem verbi, scilicet culpa totius naturae, & indignitas cujuslibet particularis: & licet antiqui Patres per proprium meritum hoc secundum requirerent, tamen quia ad removendum hoc impedimentum requiritur gratia capitis, quam antiqui Patres non habebant. Unde licet de condigno mererent apertionem regni caelestis, pro ut dicit remotioem impedimenti quod se tenet ex parte cujuslibet particularis, non tamen prout importat remotioem impedimenti quod se tenebat, ex parte naturae, per peccatum originale vitiatum.

Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Sicut se habet ordo naturae ad ordinem gratiae, ita se habet ordo gratiae ad ordinem hypostaticum: Sed nihil est in toto ordine naturae, quod possit mereri, etiam de congruo, ordinem gratiae, aut aliquid ad ipsum pertinens: Ergo nihil etiam est in ordine gratiae, quod etiam mereri possit aliquid pertinentis ad ordinem hypostaticum.

Respondeo negando absolute Majoram: Quamvis enim nihil sit in toto ordine gratiae quod adaequet unionem hypostaticam, aut ea quae ad ipsam pertinent, nec consequenter quod eam mereatur de condigno, tamen in hoc differt ab ordine naturae, quod ordo naturae praecise includit amicitiam cum Deo, bene tamen ordo gratiae, & sic quia ad meritum de congruo non requiritur aequalitas cum premio, sed sufficit solum quod fundetur in amicitia, inde fit ut quamvis in ordine naturae non possit esse meritum, etiam de congruo, respectu gratiae, possit tamen esse in ordine gratiae, respectu unionis hypostaticae, circumstantiarum, & effectuum ejus.

Dices, Opera ordinis gratiae magis sunt improporcionata unioni hypostaticae, quam opera mere naturalia ipsi gratiae: Ergo si per opera naturalia homo non possit de congruo mereri primam gratiam, a fortiori per opera ordinis gratiae mereri non poterit unionem hypostaticam. Consequenter videtur legitima, Antecedens enim est manifestum: cum enim ordo hypostaticus, ut supra dicebamus, involvat personam Verbi Divini, quae est infinitae dignitatis & perfectionis, veluti in infinitum excedit ordinem gratiae qui cum sit finitus, solum finito modo distat ab ordine naturae.

Respondeo distinguendo Antecedens: Sunt magis improporcionata respectu unionis hypostaticae, physice & in esse entis considerata, concedo. Moraliter & in ratione beneficii spectatae, nego. Gratia enim reddit amicum Dei, unde cum inter amicos debeat esse communicatio bonorum proportionum, inde fit quod ille qui habet gratiam, sit maxime proportionatus ad communicandum in bonis propriis Dei, subindeque ad obtinendum Incarnationem in ratione beneficii, quae est communicatio boni maxime proprii Deo. Ille vero qui habet solum naturam, & qui elicit opera mere naturalia, cum non sit amicus Dei, imo de facto sit ejus inimicus, nullam habet in se proportionem ad communicandum in gratia, quae cum sit participatio formalis naturae divinae, est etiam bonum maxime proprium Deo.

Obijcies tertio: Eodem modo philosophandum est de meritis respectu executionis quae fit in tempore, & respectu praedestinationis aeternae: Sed respectu praedestinationis divinae SS. Patres non meruerunt etiam de congruo Incarnationem, alias meruissent etiam de congruo praedestinationem Incarnationis, quod non admittunt communiter Theologi: Ergo &c. Major probatur, quia idem ordo quem res inter se servant in tempore secundo causam & effectum, servare etiam debent in praedestinatione & praedestinatione divina: unde si voluntas quae praedestinata fuit Incarnatio sine praevius meritis SS. Patrum, est efficax, debet etiam in tempore habere effectum independentem ab illis meritis.

Respondeo, negando absolute Majoram, ut enim in Tractatu de praedestinatione docuimus, disp. 2. art. 1. Deus ab aeterno secundum ordinem intentionis, praedestinavit homines ad gloriam, independentem ab illorum meritis; ita ut merita hominum praevia, nullo modo fuerint causa motiva quae Deum impulserit ad praedestinandum eos ad gloriam. Nihilominus in executione temporali divinae providentiae & praedestinationis, Deus nulli adulto conferit gloriam, nisi praesuppositis meritis illius: Unde ad probationem illius Majoris, dicendum est, duplicem esse in mente divina ordinem, aliam intentionis, & aliam executionis, & eundem ordinem quem res inter se servant in tempore secundum causam & effectum, servare etiam in ordine executionis praconcepto & praesistente ab aeterno in mente divina; locus vero in ordine intentionis, ille enim cum executione temporali in modo attingendi effectum non adequatur sed potius opposito modo procedit, quia ad illi unde incipit intentio, terminatur executio.

Obijcies quarto: Principium meriti non potest cadere sub merito, etiam de congruo: Sed incarnatio fuit principium meriti SS. Patrum: Ergo non potuit cadere sub merito illorum, etiam de congruo. Major patet, nam haec ratio articulo praecedenti docuimus, Christum non potuisse mereri, etiam de congruo, unionem hypostaticam, & in Tractatu de justificatione & merito, ex hoc principio inferunt Theologi, neminem posse sibi mereri, etiam de congruo, primam gratiam justificantem. Minor vero probatur: Omne meritum repositum in antiquis Patribus, fuit ex gratia collata per Christum: Sed gratia collata ex meritis Christi, supponit Incarnationem tanquam sui principium: Ergo & merita Sanctorum Patrum Incarnationem tanquam sui principium supponebant.

Mirum est, quantum hoc argumentum Theologorum ingenia

ingenia torquet, & in quam varios dicendi modos eos abire compellat. Sed his brevitas causa pretermittis.

Respondeo primo distinguendo Majorem: principium meriti non potest cadere sub merito, sub ea ratione & statu in quo est principium merendi, concedo Majorem: sub alia ratione & statu, in quo principium merendi non est, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Incarnatio fuit principium meriti antiquorum Patrum, ut praevia ex vi decreti intentivi, concedo Minorem: ut existens in executione, & prout subest decreto Dei executivo, nego Minorem & Consequentiam. Sicut ergo in Tractatu de praedestinatione docuimus, quod gloria considerata prout subest decreto Dei intentivo, non cadit sub merito iustorum, bene tamen ut subest decreto Dei executivo - ita dici potest, quod Incarnatio Verbi, quatenus primo intenta, est principium meriti antiquorum Patrum, & sub hac ratione cadere potest sub merito illorum de congruo.

Respondeo secundo, aliter distinguendo eandem Majorem: Principium meriti intrinsecum, & se habens per modum causae formalis, non cadit sub merito, concedo Majorem: Principium meriti pure extrinsecum, & se habens per modum causae efficientis moralis, aut finalis, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Incarnatio seu Christus fuit principium meriti SS. Patrum, intrinsecum & formale, concedo Minorem: Pure extrinsecum, & se habens per modum causae efficientis moralis, aut per modum causae finalis, nego Minorem & nego Consequentiam. Licet ergo Christus non potuisset sibi mereri, etiam de congruo, unionem hypostaticam, quia talis unio non est principium pure extrinsecum & effectivum meritorum Christi, sed etiam intrinsecum & formale, cum sit forma a qua valor meritorum operum Christi desumitur: & quamvis etiam prima gratia justificans non possit cadere sub merito, etiam de congruo, operum praecedentium aut subsequentium; quia haec est forma meriti constitutiva, & ad illud per modum causae pure efficientis non comparatur: Incarnatio tamen potuit cadere sub merito antiquorum Patrum, quia Christus non fuit principium seu causa intrinseca & formalis talis meriti, sed extrinseca dumtaxat; illud enim solum causavit ad modum causae efficientis moralis, ut plures existerent, vel ut alii decederent, per modum causae dumtaxat finalis, juxta illud ad Roman. 6. Finis legis Christi ad iustitiam omni credenti.

Obijcies quinto: Iner principium meriti & praemium non potest esse mutua causalitas in eodem genere causae: At si SS. Patres meruissent Incarnationem de congruo, fuisset inter ea mutua causalitas in eodem genere causae efficientis moralis: Incarnatio enim, seu Christus, fuit (ut diximus) juxta plurimum Thomistarum sententiam, causa efficiens moralis gratiae antiquorum Patrum, & similiter antiqui Patres fuissent causa efficiens moralis Incarnationis, si illam de congruo meruissent: Ergo &c.

Sed negatur sequela Minoris, ad cujus probationem dicendum est, hoc inter meritum de congruo, & meritum de condigno, requiri discrimen, quod meritum de congruo, cum nullum indicat debitum iustitiae, non est causa efficiens moralis ejus cuius est meritum, sed potius dispositiva & materialis: meritum vero de condigno, cum debitum iustitiae indicat, rationem causae efficientis moralis habet: unde si SS. Patres de condigno meruissent Incarnationem, fuisset inter ea mutua causalitas in eodem genere causae efficientis moralis; ex eo vero quod meruerint eam de congruo, solum sequitur mutua causalitas in diverso genere causae; Incarnatio enim, seu Christus, qui in genere causae efficientis moralis fuit principium meriti SS. Patrum, in genere causae materialis, seu dispositivae, ab illis dependet, quia illi piis & instantibus precibus ac ferventissimis desideriis ad recipiendum Christum, & obtinendum Incarnationem, fuisset meritum se dispositivum: quae dispositiones habuerunt rationem meriti de congruo, ut conclusionem secundam declaravimus.

Obijcies ultimo: Si Patres antiqui meruissent de congruo Incarnationem, sibi etiam de congruo meruissent primam gratiam: Sed hoc communiter recipitur ab omnibus melioris note Theologis. Ergo &c. Sequela probatur: Qui meretur causam, meretur effectum ex ea consecutum: Sed prima gratia sanctorum Veteris Testamenti fuit effectus Incarnationis: Ergo si illi meruerunt de congruo Incarnationem, sibi etiam de congruo meruerunt primam gratiam.

Respondeo negando sequela Majoris, ad cujus probationem dicendum, quod quamvis qui meretur causam, mereatur etiam effectum, naturaliter & per se ex se illa secutum, si tamen effectus non sequatur naturaliter, restat causam, non est necesse illum qui meretur causam, etiam de congruo mereri effectum. Nam si v. g. aliquis mereretur Paulo primam gratiam de congruo, qui postea mediante hujusmodi gratia mereretur Petro conversionem, non propterea diceretur mereri Petri conversionem.

Ad quod antiqui Patres potuerunt quidem mereri de congruo Incarnationem, quia jam praesupponeretur habere gratiam, non tamen potuerunt mereri primam gratiam, etiam de congruo, quia ante illam non erant amici Dei, nec consequenter poterant ab eo aliquid de congruo promereri, cum tunc meritum fundetur in legibus amicitiae, & necessario praesupponat gratiam in merente.

§. III.

Corollarium praecedentis doctrinae.

EX dictis inferes, B. Virginem, nec meruisse, nec potuisse mereri de condigno, ut esset Mater Dei, bene tamen de congruo.

Prima pars hujus corollarii patet ex supra dictis: In primis enim cum Maternitas B. Virginis, utpote ad Christum Deum & hominem terminata, Incarnationem involvat, quae dicta sunt de Incarnatione, de Maternitate B. Virginis intelligenda sunt: At supra ostendimus, nec SS. Patres, nec B. Virginem, nec ullam puram creaturam, meruisse de condigno, nec mereri potuisse Incarnationem: Ergo B. Virgo, nec meruit de condigno, nec mereri potuit Dei Maternitatem.

Deinde, Maternitas B. Virginis est bonum aliquo modo infinitum, pertinens ad ordinem superiorem gratiae & gloriae, nimirum ad ordinem hypostaticum: Unde B. Virgini propter Maternitatem Dei, debetur excellentior cultus quam cuilibet alteri Sancto, propter excellentiorem gratiam, ut notavit D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. Ergo merita B. Virginis, cum essent solum ordinis gratiae, erant improporcionata respectu talis praemii, subindeque illud de condigno mereri non poterant.

Ad quod merita B. Virginis procedebant ex gratia adoptionis, quae ut sic solum respicit & inclinatur ad acquirendam beatitudinem, non autem ad promerenda ea quae sunt ordinis hypostatici, ad quem pertinet Maternitas B. Virginis, cum sit circumstantia intrinseca Incarnationis.

Dices primo: Qui meretur de condigno dispositionem ad aliquam formam, videtur etiam mereri ipsam formam: Sed B. Virgo de condigno promeruit illam sanctitatis gradum quo ultimo fuit disposita ad Maternitatem Dei, ut docet D. Thom. hic art. 1. ad 3. Ergo pariter meruit de condigno suam Maternitatem.

Respondeo primo, negando Majorem, quia contingere potest ad dispositio ad aliquam dignitatem non excedat proportionem virtutis merentis, bene tamen ipsa dignitas: sicut si v. g. ad hoc ut aliquis fieret Rex, requiretur quod habeat artem bellandi, possit ex seipso eam acquirere, quamvis ex seipso dignitatem regiam acquirere non valeat. Sic ergo, quia debebat eam qua assumenda erat in Matrem Dei, esse purissimam, & sanctissimam, potuit B. Virgo hanc suam meritis condignis acquirere sanctitatis praeslantiam; quia vires ejus, ut per gratiam elevatas, non excedebat; non potuit tamen acquirere, seu de condigno promereri, divina Maternitatis titulum, ac infinitam dignitatem.

Secundo responderi potest, majorem esse veram de dispositione quae habet necessariam connexionem cum forma recipienda, non vero de illa quae habet solum connexionem quamdam moralem cum forma, & quae desentiam quamdam & congruitatem solum importat. Ille vero sanctitatis & puritatis gradus quem B. Virgo habuit, dum Filium Dei concepit, non fuit dispositio physica & ex natura rei connexa cum ejus Maternitate, sed dumtaxat moralis & congrua; quia vixit, ex suppositione quod Deus decrevisset homo fieri ex muliere, ex nulla tamen congrue, quam ex B. Virgine, potuisset carnem assumere, eo eximiam sanctitatem & puritatem qua enitebat. Quo pacto posset quisquam, tamen non mereatur Regis adventum in urbem aliquam, dici tamen promereri, ut Rex si eo venturus esset, divertat ad ipsum, eo quod nullus sit tali hospitio aptior, vel etiam aequae idoneus ad excipiendum Regem, neque congruentius alibi sit habiturus hospitium.

Dices secundo, Augmentum gratiae est quid majus, quam Maternitas Dei; Sed B. Virgo meruit de condigno augmentum gratiae & caritatis: Ergo a fortiori Maternitatem Dei. Minor patet. Major vero suadet ex illo Lucae 11. ubi cum mulier quadam extollens vocem dixisset ad Christum: Beatus venter qui te paravit, & ubera quae suscitavit, & c. sed infans illud. Quibus verbis, ut annotat Glossa ibidem, praeposuit Christus sanctitatem vitae, dignitatem Matris Dei. Hinc Augustinus libro de sancta virginitate cap. 3. ait: Beatus venter qui te paravit, sed non qui suscitavit, sed qui suscitavit carnem Christi. Et alibi dicit, quod felicitas fuit meritis concipiendo Christum, quam venter.

Respondeo, negando Majorem, nam esse Matrem Dei est aliquo modo cooperari proxime ad unionem hypostaticam, ministrando scilicet materiam proli concipiendae, quae est Deus, ac proinde importat dignitatem quamdam infinitam, ut docet S. Thomas 1. part. q. 25. art. 6. ad 4. Aldo

DISPUTATIO VIII

De Persona Assumente.

Ad questionem 3. D. Thomae.

Postquam Sanctus Doctor quidditatem seu essentiam unionis hypostatice, & causas ejus explicavit, incipit agere de duobus extremis ad illam concurrentibus, & primo de persona assumente in hac questione; deinde de natura assumpta, in sequenti.

ARTICULUS I.

Utrum Persona Verbi immediate & proxime terminaverit humanitatem assumptam, ratione substantie absolute & communis, vel ratione substantie relative & personalis?

§. I.

Quibusdam praeiis referuntur sententiae, & vera eliguntur.

Certum est de fide, solum secundum Sanctissimam Trinitatis personam incarnatam esse, ac proinde illam solum terminare ut quod naturam humanam; sed diffensio & controversia est inter Theologos, in assignanda ratione formali primaria terminandi hanc unionem, seu in explicando per quod Verbum primo & formaliter humanitatem terminet, an per substantiam absolutam & communem, vel per relativam & personalem? Supponimus enim ex Tractatu de Trinitate, praeter divinam naturam, & existentiam ejus, quae est de conceptu illius intrinseco, dari in Deo tres substantias relativas, quia dantur tres personae, ut fides docet, nec possunt illae constitui nisi tribus personalitatibus relativis; personalitates autem nihil aliud sunt quam substantia in natura intellectuali. Supponimus etiam ex eodem Tractatu, praeter substantias illas relativas & incommunicabiles, dari in Deo secundum se considerato, & ut personis & relationibus praesentibus, substantiam absolutam & essentialem, per quam natura divina per se subsistit, non quidem incommunicabiliter, eo modo quo personae, sed communicabiliter. Cujus suppositionis duplex potest assignari ratio. Prima est, quia subsistere ut sic, & ut dicitur per se existere, importat perfectionem simpliciter simplicem, subindeque debet competere naturae divinae secundum se consideratae; & prout personis & relationibus praesentibus unita dicatur, sufficit, quia Deus ut praesentibus relationibus & personis operatur ut quod: v.g. creat, gubernat, conservat: unde cum operationes non sint nisi substantiatum, Deus ut sic consideratus debet habere substantiam. Quae omnia in praedicto Tractatu disp. 5. art. 1. late probata sunt, & ideo hic solum recollenda, seu breviter praeibanda esse censuimus. His praemissis

Circa propositam diffidentiam triplex versatur sententia. Prima est Durandi in 2. dist. 1. q. 2. existimantis unionem per se & immediate factam esse ad substantiam absolutam Dei, mediate autem & secundario ad proprietatem relativam Filii; & ob hanc secundam unionem, quae personalis est, solum personam Filii fuisse incarnatam de facto. In quam sententiam inductus fuit, quia existimavit proprietates relativas non esse substantias, seu nullas dari in Deo esse unicum & absolutum; & proprietates vero relativas solum dare incommunicabilitatem.

Secunda datur quidem Verbum non terminare primario unionem humanitatis, ratione substantie absolute, & communis; sed per se, ut docet Durandus; sed vult eam terminare primario unionem humanitatis, ratione substantie absolute, ut modificata proprietate relativa Filii: ita quod substantia absoluta sit ratio formalis terminandi, ipsa vero relatio, seu personalitas Verbi, solum conditio sine qua non: eo proportionali modo, quo potentia generativa in Patre constituitur per essentiam divinam, quae tamen requirit tanquam conditionem, relationem paternitatis, per quam modificatur. Hanc sententiam tribuit Medina Marfilio, Victoria, & Soto, eamque sequi tenentur, qui non distinguunt realiter in creatis substantiam ab existentia.

Tertia, quae est communis in Schola D. Thomae, docet Verbum terminare adequate unionem humanitatis, ratione substantie relative, seu personalis, per quam constituitur in ratione personae, atque distinguitur a Patre, & Spiritu S. Ita Cajetanus, Medina, Nazarius, Alvarez, Aravius, Joannes a S. Thomae, Cipallus, & alii ex nostris Thomistis, cum quibus

Dico primo: Ratio formalis & proxima per quam Verbum Divinum terminavit humanitatem, non est ipsa substantia absoluta & communis, sed personalitas, seu substantia relativa & personalis, per quam constituitur in ratione personae distinctae a Patre & Spiritu Sancto.

Proba.

3. Probatur primo conclusio ex Concilio Tolet. 6. & 11. in confessione fidei, ubi haec veritas videtur definita, his verbis: Incarnationem Filii tota Trinitas operata est, quia inseparabilis sunt opera Trinitatis, solum tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod proprium est Filii, non quod Trinitati commune est. At si humanitas fuisse primo unita substantie absolute, falsa esset propositio negativa Concilii, quae docet Filium non suscepisse humanitatem in id quod commune est Trinitati; cum talis substantia absoluta, tribus personis communis sit, sicut & natura: Ergo ut veritas dictae propositionis subsistat, asserendum est, humanitatem non fuisse immediate unitam substantie absolute communi, sed relative & personalis, per quam Filius constituitur in ratione personae distinctae a Patre & Spiritu Sancto.

4. Confirmatur ex 6. Synodo generali actione 8. ubi ex Sancto Dionysio cap. 2. de divinis nominibus sic dicitur: Hic enim vocatur Pater, nec Spiritus Sanctus, ulla ratione communicant, nisi forte quia a se invicem benignitate, clementiaque & communicatione voluntatis, atque in omni supereminenti forma & ineffabili operatione, illis quoque accessit confortis. At si humanitas unita fuisse immediate substantie Dei absolute & communi, Pater & Spiritus Sanctus communicasset cum Filio, non solum in voluntate, & in omni operatione, sed etiam in terminatione humanitatis, quia terminatio illa fuisse tribus personis communis: Ergo juxta Concilia, humanitas Christi non fuit primario & immediate unita substantie Dei absolute, sed substantie relative & personalis Verbi.

5. Probatur secundo conclusio ratione quam praedicta Concilia locis citatis insinuant. Si ratio formalis & proxima per quam Verbum Divinum terminat humanitatem, esset substantia Dei absoluta, non vero personae, esset substantia relativa Filii, sequeretur tres personas Sanctissimae Trinitatis terminasse unionem naturae humanae, & proinde esse incarnatas: Sed hoc est contra fidem, & definitionem Conciliorum, ut vidimus: Ergo, &c. Prohabetur sequela: Illud terminat unionem humanitatis, in quo est ratio formalis terminandi; sicut illud agit, in quo est ratio formalis & proxima agendi: Sed substantia absoluta & essentialis reperitur in tribus personis Sanctissimae Trinitatis: Ergo si illa sit ratio formalis & proxima terminandi unionem humanitatis, sequitur tres personas Sanctissimae Trinitatis hujusmodi unionem terminasse, subindeque fuisse incarnatas.

Confirmatur: Sicut enim ut duo continua unita dicantur, sufficit quod habeant quantitativum vinculum sibi commune, nempe lineam, vel punctum: sic etiam ut duo substantialiter unita dicantur, sufficit, ut habeant substantiale vinculum commune, quo mediante invicem conjungantur: Sed juxta sententiam Durandi, totae tres personae divinae, & Christi humanitas, habent unum commune vinculum substantiale; scilicet substantiam communem & essentialem per quam absolute subsistunt: Ergo tres personae Sanctissimae Trinitatis, sunt substantialiter unitae humanitati, ac proinde incarnatae; cum incarnari nihil aliud sit, quam substantialiter uniti naturae humanae.

7. Hinc argumento, quod praecipuum & fundamentale est, respondet Durandus negando sequela Majoris: ut enim (inquit) personae divinae dicantur incarnatae, seu humanitati substantialiter unitae, non sufficit unio humanitatis ad substantiam absolutam & communem, sed insuper requiritur alia unio formaliter distincta, ad proprietatem personalem & relativam: unde cum Verbo humanitas unita fuerit, non solum secundum substantiam absolutam, sed etiam secundum proprietatem relativam, aliis vero personis dumtaxat secundum substantiam absolutam & communem; hinc fit quod solus Filius dicatur incarnatus, non vero Pater, vel Spiritus Sanctus. Licet (inquit) concedi possit Patrem & Spiritum Sanctum, cum addito, in quantum filius sunt hic Deus, fuisse incarnatos, non tamen absolute & simpliciter, in quantum sunt tales personae.

2. Verum haec solutio & doctrina multipliciter confutari potest, primo ex Concilio Tolet. 6. ubi sic dicitur: Nam si naturam hominis, Deique, alteram in alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam. Ex quibus verbis hoc argumentum desumitur. Si unio humanitatis ad Verbum esset facta in natura, quia haec est tota Trinitati communis, inferret Concilium tres personas fore incarnatas, & de omnibus verificandum esse quod corpus assumpsissent: Ergo si de facto unio humanitatis ad Verbum primo terminata est ad substantiam Dei absolutam & communem, facta cum individuo Deitatis, ut communi tribus personis, de omnibus erit verum dicere quod carnem vel corpus assumpsissent, & quod homines facti sint.

Secundo, natura divina proprie dicitur incarnata, ut ex Damasceno lib. 3. fidei orthodoxae cap. 6. docet D. Thomas hic art. 2. & rationem reddit in resp. ad 1. quia nempe natura non differt suppositaliter a Verbo quod immediate assumpsit humanitatem, & ratione sui fuit incarnatum: Sed Pater &

Spiritus Sanctus non differunt suppositaliter ab hoc Deo, ut communi tribus personis, & in illis subsistente: Ergo si Deus ut communis tribus personis, immediate & ratione sui fuit incarnatus, Pater & Spiritus Sanctus proprie incarnati dicuntur & facti homines.

Tertio, Quia assumere sumptum pro principio actionis convenit personis divinis, ratione naturae ut communis, omnes divinae personae dicuntur proprie principium Incarnationis, ut docet D. Thomas hic art. 4. Ergo si terminare immediate naturam humanam, convenit Verbo ratione naturae divinae, & substantiae, prout est tribus personis communis, omnes cum proprietate dicuntur terminare humanitatem, & consequenter dicuntur proprie incarnatae.

Quarto, Id quod convenit naturae secundum se & ratione sui, de omnibus personis divinis praedicatur: Ergo si natura divina, vel hic Deus ut communis tribus personis, terminat humanitatem, & fit ex vi Incarnationis homo, omnes personae divinae terminabunt humanitatem, eruntque homines ex vi Incarnationis. Consequenter legitima est, Antecedens autem est expressio D. Thomae hic art. 2. ad 2. & art. 4. in corp. & potest hoc exemplo declarari: quia enim sapientia, misericordia, & justitia, conveniunt naturae divinae secundum se, prout est communis tribus personis, personis etiam conveniunt, & de illis praedicatur: Ergo omne praedicatum conveniens Deo ratione naturae ut communi praedicatur de personis.

Denique quod ait Durandus, Patrem & Spiritum Sanctum posse dici homines cum addito, in quantum scilicet hic Deus, & prout sic incarnatos, temerarium est, cum nullus SS. Patrum, vel Theologorum, ita loqui ausus fuerit. Preterquam quod, quae huic Deo competunt ratione naturae ut communis, absolute & sine addito praedicantur de personis: creare enim, conservare, gubernare, & omnes operationes ad extra, quia huic Deo conveniunt ratione naturae ut communis, simpliciter, & sine addito, de personis praedicantur: Ergo si terminatio immediata humanitatis, & humanitas in concreto, praedicantur de individuo Deitatis, ratione naturae ut communis, absolute & sine addito diminutive praedicari poterunt de personis, & sic Pater & Spiritus Sanctus simpliciter & absolute poterunt dici incarnati, & facti homines. Unde sententiam Durandi Capreolus periculosam censet, Cajetanus cavendam, Medina hereticam, Cabrera temerariam, Suarez omnino improbabilem.

Dico secundo. Verbum Divinum non terminavit primario humanitatem per substantiam absolutam & essentialem, prout est in Filio, seu ut illi appropriatam, & per relationem Verbi modificatam.

Probatur primo conclusio ex Concilio Toletano supra citato, sic dicente: Solus Filius assumpsit humanitatem in eo quod est proprium Filii: At quamvis substantia absoluta Dei, ut modificata proprietate relativa Divini Verbi, dici possit & debeat aliquid ipsi appropriatum, non tamen dici potest aliquid ipsi proprium, sed haec denominatio solum convenit proprietati relative: Ergo id quod primario naturam humanam terminavit, est solum proprietates relativa Divini Verbi, non vero substantia absoluta, etiam modificata relatione Verbi, seu ut illi appropriata.

Probatur secundo: Si persona Filii non terminaret humanitatem, per propriam & incommunicabilem substantiam, sed per absolutam & communem, ut appropriatam Verbo, non posset persona Verbi, ut a Patre & Spiritu Sancto distincta, dici terminare humanitatem: Sed hoc erroneum est, ut patet ex dictis conclusionibus praecedentibus: Ergo & illud, Sequela Majoris probatur: Quia etiam virtus creandi non est propria Filio, sed illi communis cum aliis personis, non potest ut appropriata Filio, seu ut modificata per rationem filiationis, aliquid creare, nisi Pater & Spiritus Sanctus simul creent. Ergo pariter cum substantia absoluta, ut aliquid commune tribus personis Sanctissimae Trinitatis, non poterit Filius per talem substantiam, etiam ipsi appropriatam, & per relationem filiationis modificatam, terminare substantialiter humanitatem, nisi etiam aliae personae illam substantialiter terminent.

Probatur tertio conclusio ex alio absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, nimirum quod Filius non communicaret humanitati assumptae personalitatem propriam, sed dumtaxat substantiam absolutam & communem, quod etiam prout erroneum est. Sequela probatur: Quia tota vis generandi in Patre est Deitas, & paternitas illi solum tanquam conditio adiungitur, Pater non communicat Filio paternitatem, sed solum essentiam: Ergo similiter cum juxta Adversarios tota vis formalis & proxima terminandi humanitatem in Filio, sit substantia absoluta & proprietates, seu relatio personalis Filii, ibi interveniat solum tanquam conditio, manifeste sequitur quod Filius solum communicavit humanitati substantiam absolutam, non vero propriam personalitatem, seu substantiam relativam & personalem.

Dico tertio: Licet Verbum Divinum terminet primo & immediate naturam humanam per substantiam relativam

viam

Adde tamen, quod ipsi B. Virgini (loquendo formaliter) fuit magis proficua sua sanctitas personalis, quam dignitas Matris, quia per sanctitatem fuit intrinsece perfecta per plura dona supernaturalia, quod non habuit per Maternitatem, nisi casualiter, immo nec physice, sed solum moraliter; quatenus scilicet congruum erat quod Mater Dei haberet praeter ceteris Sanctis plus gratiae & puritatis; & hoc est quod voluit Christus Lucae 11. & Augustinus locis citatis. Adde etiam quod iste consulto non dixit Mariam fuisse digniorem, vel nobiliorem, percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi, sed beatioram, quia nimirum gratia, per quam Christum mente concepit, cum esset semen gloriae, & radix visionis beatificae, magis immediate ordinabatur ad ejus beatitudinem, quam Maternitas Dei, quae essentialiter non importat jus & ordinem ad beatitudinem, cum Christus potuerit nasci ex femina peccatrice.

87. Secunda etiam pars corollarum, quae asserit B. Virginem de congruo meruisse Maternitatem Christi, ex supra dictis colligitur: Nam meritum de congruo, ut supra ostendimus, fundatur in legibus amicitiae, secundum quas congruum est quod amicus amicum exaudiat, quando petit quae iusta sunt: Sed B. Virgo erat inter omnes magis amica Dei, & alias est valde probabile, illam instanter orasse Deum, ut Filium suum mitteret in mundum, ad redimendum genus humanum a daemonis & peccati servitute, atque ferventius & instantius quam fecerint alii Patres antiqui: Ergo congruum fuit ut propter eas orationes, & desideria, non solum mitteret Deus Filium suum in mundum, sed etiam ut faceret illum esse ejus Matrem. Unde pulchre S. Bernardus serm. de aqua ducta: Sed quomodo nosserit eis aquae ductus fontem illum aeris tam sublimem? Quomodo putas, nisi vehementer desiderii, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? si cui scriptum est: Oratio justi penetrat caelos. Et quis jusus, si non Maria iusta; de qua sol justitiae ortus est nobis? Quomodo ergo illum inaccessam aeris majestatem, nisi pulcherrime, petendo, quaerendo?

88. Confirmatur: Aliqui ex Patribus meruerunt de congruo ut Christus ex ipsis originem duceret, ut supra vidimus de Abrahamo & Davide: Ergo & de congruo meruit ipsa B. Virgo, quod esset illius Mater, etenim omne meritum quod conceperit aliis Sanctis, concedendum est B. Virgini, & in gradu magis perfecto, sicut & in gradu perfectionis fuit amica Dei, & iustitiam Christo conjuncta, utpote Mater ejus. Unde egregie Eftichius orat. 2. si Christus sol, Maria calum: si Christus sol, Maria planto.

89. Confirmatur simpliciter: Licet decretum intentivum Christi, & nativitas ejus ex Virgine, decretum electivum Virginis in Matrem, & meritum ejus processerit, ac per consequens ex illius meritis non processerit, decretum tamen executivum Incarnationis Verbi, posterius fuit decreto executivo actu, quibus Beatissima Virgo se disposuit ad materiam: Tum quia quae sunt priora in ordine intentionis, sunt in executionis ordine posteriora; Tum etiam, quia decreta executiva cum ordine executionis obiectivo commensurantur: actus vero quibus B. Virgo se ad Maternitatem disposuit, in ordine executionis Christum & nativitatem ejus ex Virgine praecesserunt: Ergo licet B. Virgo non meruit Christum, ut spectantem ad ordinem intentionis, meruit tamen nativitatem Christi ex seipsa, prout subest ordini executionis, & decreto executivo.

90. Accedant testimonia SS. Patrum, qui uno ore fatentur B. Virginem, ob virtus sanctitatem, & puritatem eximiam, meruisse concipere Regem calorum & Dominum: Ambrosius eam lib. 2. de Virginibus: Maria (inquit) digna exitis ex qua Dei filius nasceretur. Hieronymus ad Rufinum de custodia Virginitatis: Tanta puritatis Maria exitis, ut mereretur effici Mater Filii Dei. Gregorius Magnus in libro Regum: An non noni sublimis Maria, quae ut conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum virtutem supra omnes Angelorum choros, usque ad solum Deitatis, exiecit. Denique Fortunatus libro de aeternis gaudiis, habet hos versus:

Virginis felix, quae parvi est digna tonantis, Quae meruit Dominum progenerare suum.

Alia similia quam plurima Patrum loca addens Castellus libro 2. Martialis, cap. 16. quae explicari nequeunt de merito impropre sumpto, nimirum non ut significat actionem dignam premio, sed solum coactionem quamdam & correspondentiam unius ad alterum; in qua significatione canit Ecclesia in benedictione cerei paschalis: O felix culpa quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem! Non inquam, in hoc sensu haec loca interpretari possunt, ut contendit Lorca: Tum quia licet nomen meriti aliquando ita accipitur, tamen cum ipsum meritum tribuitur virtus sanctitati, necesse est illud accipere in significatione propria, de qua nunc agimus. Tum etiam, quia plures ex SS. Patribus hoc meritum attribunt bonis operibus ipsius B. Virginis, ut patet ex verbis D. Bernardi supra relatis: meritum autem quod bonis operibus alicujus tribuitur, accipiendum est in propria significatione.